su 64. *sit exponendum* elegantem lyram, *potiùs quàm* cavam, *à* γλάφω, scalpo, fodio.

Βοτρυδὸν, racematim, in modum racemi, botri. βότρυς, υ𐅃, ὁ, racemus. βοτρὺς *autem, inquit Martinius*, quòd ποτὸν ῥέει, potum effundat.

Πέτομαι, πτέομαι, πίτυμαι, ποτέομαι, ἵπταμαι, volo, volas. πέτομαι *hic* πετέομαι *Hym. in Merc.* 155. ποτέομαι *in versu sequenti.* ἵπταμαι *ante.* πεποτήαται *Ion. pro* πεπότηνται, *tertia pers. plur. Præt. pass. à* ποτάομαι, ποτήσομαι, πεπότημαι.

90 Ἅλις, *Adverb.* confertim. *aliquando* satis, affatim, magna copia. *sine casu.* ἐκ τῦ ἁλὸς *utpote* ἐν ῇ ἄθροον ἐςὶ τὸ ὕδωρ, *quòd* in mari sit aquæ abundantia. *vel quod* omnes aquæ ibi sint in unum collectæ. *cum Genit. interdum.*

91 Νεῶν, *per Synizesin pro* νηῶν *Genit. à* ναῦς, ἡ navis.

92 Ἠϊών, όνος, ἡ, littus, ripa. *Etym deducit* παρὰ τὸ καταιονᾶσθαι ὑπὸ τῶ κυμάτων, *quòd à fluctibus alluatur. ab* αἰονάω, aspergo, perfundo.

Ἐστιχόωντο, *Pleonasm. Poëtic. pro* ἐστιχῶντο. στιχάω, *&* ἄομαι, ordine eo, procedo. *à* 2. *Aor.* τῶ στείχω, *idem.*

93 Ἰλαδὸν, turmatim, confertim. *ab* ἴλη, *quod est pro* εἴλη, agmen, *seu* turma *propriè* sexaginta quatuor equitum. *ab* εἰλέω, *cum tenui*, coarcto, congrego.

Ὄσσα, ἡ, vox, rumor, divina fama, *ut hic. item* omen. *ab* ὄψ, vox, *quasi* ὄψα *hinc* ὄσσομαι, auguror, vaticinor, *Il.* ξ. 17.

Δέδηε. *Plusquam perf. med. à Præt. med. Attic.* δέδηα, combustus eram: inflammabatur fulgebat, ἐξῆπτο, διεγείρετο, *inquit Constant.* excitabatur, *à* δαίω, comburo, luceo.

Ὀτρυνω incito, urgeo, adhortor. *Fut.* ὀτρυνῶ, *pro quo Ionicè* ὀτρυνέω, *ut Il.* κ. 55. ὀτρυνέω ἀνστήμεναι, hortabor ut surgat. ὀτρύνομαι, incitor.

94 Ἀγέροντο. *Aor.* 2. *med.* ἀγείρω.

95 Τετρήχει, *plusquam perf.* τρήχω *verb. Poëtic pro* τραχύνω, asper & salebrosus sum. *à* τρηχὺς *Poët. pro* τραχὺς *idem.* τέτρηχα, asper & salebrosus factus sum. *Metaph. autem significat*, tumultibus turbari.

Ὅμα-

Ὅμαδος, ου, ὁ, multitudo. *item* tumultus & strepitus, *quem multitudo concitat, ut hic*, ὅμαδος καὶ δοῦπος, tumultus & strepitus. *Il.* ψ. 233. *ab* ὁμοῦ *&* αὐδὴ, *inquit Eustath. alii ab* ὁμὰς, ὁμάδος, ἡ. omnes simul. *seu* universitas; *quod ab* ὁμοῦ. *hinc* ὁμαδέω, congrego, *&* ὁμαδέω, tumultuor.

Σφέας, illos, *Ionic. pro* σφᾶς.

Ἐννέα, novem *ab* ἕνος *pro* ἕνος. *aliquando* vetus: *quòd novenarius inter numeros digitus est novissimus*, id est, *postremus, inquit Martin.*

Βοάω, clamo, vociferor, *ut hìc. aliquando* clamans dico. 97
refertur etiam ad inanimata. derivatur à βοῦς, *ut propriè sit vox instar bovis.*

Σχοίατο, *Ionic. pro* σχοῖντο *Aor. 2. med. Optat. ab* ἔχω, *cujus* 98
Fut. 2. σχῶ, *ex inusit.* σχέω. *hic autem* ἔχω *sui compositi* κατέχω, reprimo, cohibeo, *significationem accipit.*

Σπουδῇ. *Adverb.* diligenter, festinanter, cum labore, vix, 99
ut hìc. à σπουδὴ, *quod in omnibus his significationibus legitur.* festinatio, diligentia, studium, alacritas, promppta voluntas. *hoc autem à* σπεύδω *ὁδὸν*, viam sequi.

Ἐρήτυθεν, *Bœot. pro* ἠρήτυθησαν, occuparunt. *Activè.*

Καθέδρα, ἡ. sedes, sella, sedile. *ab* ἕδρα, sedile, *aliquando sedes quæ honoris gratiâ alicui collocatur ut Il.* θ. 162. περὶ μέν σε τίον Δαναοὶ ταχύπωλοι Ἕδρῃ τε κρέασίν τε, honoraverunt te Danai equites sedeque, & carnibus, &c. *aliquando* sedes, *id est*, habitatio. *aliquando* consessus. ἕδρα *ab* ἕζομαι, sedeo. *quidam legunt hic* καθέδρας, καθ' ἕδρας.

Κάμε, *Aor. 2.* κάμνω, laboro, *vel* laborare facio. 101

Ἀργειφόντης, ὁ, Mercurius: *quòd Argum occiderit ab* Ἄργος, Argus, *qui centum oculos habuit, &* φένω, occido. 103
vel, ut volunt alii, quasi ἀργὸς ἀπὸ τῶν φόνων, purus ab occidendo: *pacificus enim deus est Mercurius: animus enim irritatus mitescit, & sedatur oratione facundâ.*

Διάκτορος, ὁ, ἡ, internuncius, minister. *Mercurii epithetum, quasi* διάγων τὰς ἀγγελίας, qui transmittit nuntia. *idem* διάκτωρ, ὁ, *à cujus Genitivo fit: sed non invenitur.*

tur apud Homer. venit à διάγω, traduco, transmitto; *quod ab* ἄγω, duco.

104 Ἑρμείας, ὁ, Mercurius, *Poët. pro* ἑρμῆς. *ab* εἴρω, dico, nuntio *mutato spiritu.*

Πλήξιππος, ὁ, ἡ, domitor equi, eques. *epitheton propriè viri nobilis. à* πλήσσω, percutio, cædo, vexo, *&* ἵππος, ὁ, ἡ, equus.

106 Πολύαρνι, multos possidens agnos. *per conseq* dives. *à* πολὺς, *&* ἄρις, νὸς, ὁ, ἡ *vel* ἀρλὼ, agnus. *Ante.*

Θυέστ' *Poët. pro* Θυέστα, *pro* Θυέστης, Thyestes. *Attici enim & Poëtæ Vocat. in* α 1. *Declin. à nominibus in* ης, *usurpant pro Nominativis: sic* Νεφεληγερέτα Ζεύς. *Suprà.*

Φορῆναι, *Poët. pro* φορεῖν, gesto, fero, *tanquam à* φόρημι *vel* φοραίνω.

108 Νῆσος, ἡ insula. *à* νῶ, nato. *quæ mari, à quo cingitur, innatare videtur, & in eo velut fluitare: & hinc dicitur Æolus habitasse* πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ, natanti insulâ, *Odyss.* κ. 3. *&* α. 90. νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ, insula in circumflua. *vel Activ. vel passiv.*

109 Ἐρείδω, firmo, figo, colloco. *aliquando* hæreo, adhæreo. ἐρείδομαι, incumbo rei, totis viribus aliquid facio. *aliquando* sternor. *hic verò* innitor, incumbo.

110 Ἄρης, ὁ, Mars. *ut hìc. aliquando* prœlium, *aliquando* plaga prœlio accepta, *aliquando* impetus, & belli desiderium. *ab* ἄιρω, interficio *Gen.* εος *Ion* ηος.

111 Σχέτλιος, miseriarum author aliis, aliis infestus, *ut hìc. item* noxius *item* strenuus ad patiendum. *interdum* crudelis, multa patiens. miser, impius, improbus, ingratus. *derivatur à* χέω, habeo, *&* τλάω suffero.

Ἀπονέεσθαι, abeo, redeo, discedo *à* νέομαι. *Ante.*

113 Ἀπάτη, fraus, fallacia. *ab* ἀπατάω, fallo, decipio. *Ante.*

114 Δυσκλεὴς, εέος, έος. ἦς ὁ, ἡ, ingloriosus. *à* κλέος, έος, τὸ,

115 gloria, *& apud Poëtas* κλεῖος. *à* κλέω, celebro, *vel* celebrem reddo. *Ante.*

116 Ὑπερμενὴς, ὁ, ἡ, præpotens, nimium violentus, *Iovis epitheton, à* μένος, robur, vis.

Πολίων κάρηνα. *hìc & Il.* ι 24 *Synecdoch.* arces civitatum, *vel Metaph.* gloriam civitatum *significat.*

Ai-

Αἰσχρὸς, ὁ, turpis, *id est*, indignus, *ut hic. aliquando* contumeliosus, *aliquando* deformis. *compar.* αἰσχρότερος, *vel* αἰσχίων. *Superl.* αἰσχρότατος, *vel* αἴσχιστος· *ab* αἶσχος, τὸ, turpitudo, probrum, infamia. *hoc autem dicitur quasi* ἄισχος, *ab* α *privat.* & ἴσχω, habeo, *ut sit quod quis habere nolit.* 119

Μὰψ, frustra. *Poëtica vox pro* μάτην, *ut hic*, cum injuria. non jure, injustè. *hinc &* μαψίδιος, stultus, ineptus, *idem quod* μάταιος, *à quo* μαψιδίως, temerè, injustè. 120

Ἄπρηκτος, imperfectus, irritus, *ut hic*; *aliquando* vanus. *cum ita significat, est pro* ἄπραχτος, *ab* α & πράσσω. *Sed sunt qui exponunt hic* ἄπρηκτον πόλεμον, infinitum bellum. *si ita, derivatur à* πρήσσω, eo per, *facio per Syncop. à* περάσω, *futuro verbi* περάω, transeo. 121

Πολεμίζω πόλεμον, bellum gero, *ut hic. Aliquando* pugno, decerto, & *tunc sine casu. alii legunt* πτολεμίζειν, *in futuro* πολεμίξω. *à* πόλεμος. *Ante.*

Παῦρος, paucus, *aliquando* parvus. *aliquando* παυρότερος, deterior. *pro Superl. dicitur* μάλα παῦρα αἴσυλα εἶδε, quàm paucissima nefaria scivit. 122

Ὅρκιον, fœdus jure jurando sancitum, *ut hic. aliquando ea, quæ ad hoc fœdus sanciendum pertinent. ut Il.* γ. 145. Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ. Ἄρνε δύω, καὶ οἶνον ἐύφρονα, Præcones autem per urbem deorum ferebant fœdera firma, agnos duos & vinum lætificum. *aliquando* ipsum jusjurandum. 124

Πιστὸς, οῦ, ὁ, fide dignus, fidus. *à* πίστις, fides. *à* πείθω, persuadeo. ὅρκια *autem dicuntur* πιστὰ *ex effecto: non quod semper fideliter observentur, sed quòd fidelis observatio sit illis debita. hinc ita appellantur etiam cum minimè observantur. Il.* δ. 160. καὶ δ' ὅρκια πιστὰ πάτησαν, & fœdera fida conculcârunt.

Τέμνω, seco, scindo, *ut Antè*, α. 458. *hic* ferio: *nisi* ὅρκια *hic etiam, ut &* γ. 145. *sit potiùs Metonymicè accipiendum pro illis agnis, quorum pili in hoc fœdere faciendo abscissi fuerant, & distributi omnibus iis quibus fœdus fuit observandum.* ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας,

 agno-

agnorum ex capitibus abſcidit pilos, &c. *de fœderis ſanciendi more, vide Iliad. γ. 269. & ſequentibus: quòd ſi ita accipiendum, τέμνω propriam ſignificationem habet. & ὅρκια πιστὰ τέμνειν, eſt per Metonymiam adjuncti,* fœdera fida ferire.

Ἀριθμέω, numero. ἀριθμέομαι *idem item* numeror, *ut hìc, jungitur* ἀριθμέω *cum* καταλέγω, *Od. π. 235.* ἄγε μοι μνηστῆρας ἀριθμήσας κατάλεξον, agè, procos numero recenſe. *deducitur autem ab* ἀριθμός. *hoc autem ab* ἄρω, apto, *quòd ex unitatibus aptè conjunctis numerus reſultet. vel quòd ſit diſcreta quantitas, quaſi* ἀριτμός, *ab* ἄρα *&* τέμνω· *eſt enim admodum diviſibilis, inquit Harmar.* ἀριθμηθήμεναι, *Poët pro* ἀριθμηθῆναι.

Λέγω, dico, colligo, cubare facio, *vel* cubitum demitto. λέγομαι, dicor, recenſeor, *item* dico, & recenſeo, diſſero, diligor, colligo, cubo, dormio.

Ἐφέστιος, ὁ, ἡ, domeſticus. *item qui habet larem ubi degit, ut hìc,* civis indigena incola. ἐφέστιος *etiam dicitur*, qui domi eſt, *vel*, qui domum rediit. *ſic aliquando dicitur de eo qui ſedem alienâ tellure, vel civitate ponit. ut illud intelligi poteſt, Od. η. 249.* ἀλλ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἐφέστιον ἤγαγε δαίμων, ſed me infœlicem duxit fortuna domeſticum, *id eſt,* ut cum illa, *ſcil.* Calypſo, habitarem. *ab* ἐπὶ & ἑστία, focus, lar, domus. *aut ſecundùm alios*, ara quæ juxta focum extructa erat *aliquando ſignificat* Veſtam, *ut Hym.* in veſtam, *primo verſu, quòd illa primum domos ædificaverit ab* ἕω, ἔσω, colloco.

125 Ἔασι, *Poët. & Ion.* ἔασι, *pro* εἰσί.

126 Δεκάς, ἡ, numerus denarius. *item* decuria, *ut hìc.* à δέκα, decem.

Διακοσμέω, diſtribuo, digero, ordino. *ut hìc. aliquando* compono, adorno, inſtruo, orno, diſpono. *à* κόσμος, ὁ, ordo. διακοσμηθεῖμεν, *Syncope, pro* διακοσμηθείημεν. *Aor. 1. Optat.*

128 Δευοίατο, *Ion. pro* δεύοιντο, eguerint.

129 Πλέας, *Poët. pro* πλέονας, *& hoc pro* πλείονας, *per Syncop. à* πλείων *ſic etiam legitur* πλέες *pro* πλέονες.

Ναίω, habito, incolo, *hìc cum Præpoſitione, aliquando*

ſine

ſine Præpoſitione. aliquando habitor, incolor. *Poët.* *ναίομαι. Iliad. β. 626. νήσων αἳ ναίουσι πέρην ἁλὸς*, inſulis quæ habitantur trans mare. *ναίομαι*, habitor, incolor.

Ἐπίκουρος, ὁ, ἡ, auxiliator *in bello*, auxiliaris, auxiliarius. 130
hinc ἐπικουρέω. ἐπίκουρος autem ab ἐπὶ & κοῦρος, juvenis, *Antè: quod juvenum potiſſimum eſt in bellicis rebus verſari. Nota. ἐπίκουρος & σύμμαχος ita inter ſe diſjecerunt. ἐπίκουροι οἱ τῶν πολεμουμένων βοηθοί. σύμμαχοι δὲ τῶν πολεμούντων. ἐπίκουροι, ſunt auxiliatores illorum qui oppugnantur; σύμμαχοι, illorum qui oppugnant: illi ex alia regione ſunt, ideoque vocantur; Il. ι. 233. τηλέκλειτοι*, ex longinquo vocari. *& κ. 420. πολύκλητοι ἐπίκουροι*, hi ſæpè commilitones.

Ἐγχέσπαλος, qui haſtam vibrat, vibrandæ haſtæ peritus. & 131
proinde, bellicoſus. *ab ἔγχος, τὸ*, haſta; *quod ab ἔχω*, habeo. & *πάλλω*, quatio, vibro.

Πλάζω, errare facio. *aliquando* averto. amoveo, *ut hìc. aliquando* diſturbo, *ut Od. β. 396. πλάζε δὲ πίνοντας*, diſturbavit autem bibentes. *πλάζομαι*, erro.

Εἰῶσι *pro ἐῶσι, Poëticè.* 132

Βεβάασι, *Ion. pro βεβήκασι. à βαίνω, quaſi à βάω Iones in verbis in άω & έω ſubtrahunt κ ex Præteritis, & corripiunt penultimam. hinc etiam in participio βεβαώς. Il. ξ.* 134
477. *ἀμφὶ κασιγνήτῳ βεβαώς*, fratrem circumſtans. *hinc etiam Il. ρ. 359. ἀλλὰ μάλ' ἀμφ' αὐτῷ βεβάμεν. per Syncop. pro βεβηκέναι Infin. & Iliad. ρ 286 οἳ περὶ Πατρόκλῳ βεβάασιν*, qui circa Patroclum iverant *pro βεβήκεισαν, & hoc pro ἐβεβήκεισαν.*

Ἐνιαυτὸς, ὁ, annus, *ab ἐν αὑτῷ ἰέναι, quia in ſeipſum annus redit.*

Σήπω, *Fut. 1. σήψω. Aor. 2. ἔσαπον, & ἔσηπον*, putrefacio. 135
σήπομαι, putreſco putrefio. *Præt. med. σέσηπα*, putrefactus, ſum, *ut hìc.*

Σπάρτον, ſpartum, genus vitilium. *propriè eſt, (inquit Plinius)* juncus aridi ſoli, & *per Metonym. materiæ*, funis ſparteus. *à σπαρτὸς*, ſeminatus; *quod à σπείρω.*

Εἵαται, *Poët. pro ἕαται. ἕαται autem Ionicè pro ἧνται. ab* 137

ἧμαι, sedeo. *Perf. pass vel potiùs Præs. nam* sedent *significat hìc. & in aliis locis. hinc* εἵατο, sedebant. *Plusq. perf. vel Imperf.*

Πεποτέγμεναι, *pro* προσδεχόμεναι, *Doric vel potiùs pro* προσδεδεγμέναι. *Part. perf. pass. verbi* προσδέχομαι. *Participia enim Præt. pass fiunt proparoxytona, cum augmento carent.*

138 Ἀκράαντος, ὁ, ἡ, imperfectus, *ut hìc*, irritus. ἀ κραίνω, perficio, efficio. *item* impero, rego. *Ante.*

140 Πατρὶς, ἡ, *aliquando Substantivè usurpatur, interdum adjectivè. cum* γαῖα, *ut hìc. cum* αἶα, *ut Il.* δ 172. μνήσονται Ἀχαιοὶ πατρίδος αἴης, recordabuntur Achivi patriæ terræ. *cum* ἄρουρα, *Odyss.* α. 407. ποῦ δέ νυ οἱ γενεὴ καὶ πατρὶς ἄρουρα, ubinam ei genus & patrium solum. ἀ πατὴρ. *Ante.*

Ὀρίνω, concito, turbo, *ita* commoveo ut persuadeam, *ut hìc*, ad iram commoveo. *tribuitur etiam mari, ut Il* β. 294. ὀρινομένη τε θάλασσα, commotumque mare. *ab* ὄρω.

143 Πληθὺς, ύος, ἡ, multitudo. *ut hìc. aliquando* plebs, vulgus. πλῆθος *idem.* ἀ πλέος, plenus.

145 Εὖρος, ου, ὁ, ventus Orientalis *inter Aquilonem & Vulturnum medius, quasi* ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων, ab auro: â fluens.

Νότος, ὁ, Notus. ἀ νοτὶς, humiditas; *quia est humidus & nebulosus ventus.*

146 Ὤρορε, *Præt med. verbi* ὄρω, *per Metathesin pro* ὄρωρα. ὄρωρα *verò Atticè pro* ὦρα. ὄρωρε *autem significat passivè: ut Il.* π. 797. πόλεμος δ᾽ ἀλίαστος ὄρωρεν, bellum inevitabile ortum, vel excitatum est. *& in Plusq* 810. πολὺς δ᾽ ὀρυμαγδὸς ὀρώρει, multusque tumultus coortus est. *dicitur &* ὠρώρει, *Il.* σ. 497. ἔνθα δὲ νεῖκος ὀρώρει, illic verò contentio orta erat. ὤρορε *activè plerunque, ut hìc, aliquando & passivè, ut Il.* ν. 78. μαιμῶσιν, καὶ μοι μένος ὤρορε, impetu magno feruntur, & mihi robur movetur.

Ἐπαΐσσω, irruo, adorior, *cum Dativo. aliquando* accurro, *& cum Genitiv. item* insequor. *item* impero, percutio, invado, *cum Accus. aliquando* insurgo, *ut hìc, sine casu.*

ἐπαΐσ-

ἐπαΐσσομαι *idem. in omnibus significationibus aliquid impetus & vehementiæ significatur, ut & in simplicis ἀΐσσω significationibus, quæ quàm plurimæ sunt apud Homer.* celero, impeto, percutio, volo, insurgo. *aliquando* vibro. *item* declino. *item* vagor, circumvoluto, accurro, attollo *Cum variis Præpositionibus variè exponitur.* descendo ad, *cum* κτ. transeo, rumpo, evolo, præcurro, *vel* procurro. *derivatur ab α intens. & ἴω eo.*

Ζέφυρος, ὁ, Zephyrus, Favonius *dictus ita dicitur quasi* ζωηφόρος, vitam ferens, *aut* ea quæ ad vitam attinet: *quoniam τῷ ἦρι πνέοντες αὐτῷ οἱ καρποὶ αὔξονται, quòd eo flante, terra hyemali frigore constricta aperiatur, ac plantæ omnes germinent. hinc Od. η.* Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει, Zephyrus spirans hæc crescere facit, *id est*, Ζεφυρίη πνοή, Zephyrius flatus. 147

Λήϊον seges, campus segetum, *apud Poëtas.*

Λάβρος, nimium vorax. *quasi* λίαν βορός. *vel* vehemens, rapidus, immediocris, impetuosus, *quasi* λίαν βαρύς, *& ita inanimatis tribuitur. hinc Il* ψ. 473. λαβρεύομαι, immodestè & arroganter loquor. *& ibid.* 478. λαβραγόρης, procaciter loquax. 148

Ἐπαιγίζω, irruo, impetuosè spiro, cum turbine afflo: *de ventis dicitur, vel procella ab* αἰγὶς ἡ, procella, *quod ab ἀΐσσω, verbo poëtico,* irruo, impetu feror, *vel ut alii, ab αἰγὶς* ægis, pellis caprina *de qua Ante. & β 447. quæ dicitur impetuosa, & data esse ad terrorem hominum. Iliad. ο.* 307. & 310. ἔχε δ' αἰγίδα θουρὴν δεινὴν------ἣν Διῒ χαλκεὺς Ἥφαιστος δῶκε φορήμεναι ἐς φόβον ἀνδρῶν.

Ἠμύω, inclino *ut hic* ἐπί τ' ἠμύει ἀστάχυεσσιν. *id est* ἐπικαταλίνει τοὺς ἀστάχυας τοῖς στάχυσι. *aliquando* inclino, *cum Accusat. aliquando* nuto, *aliquando* cado. *derivatur à μύω, η præposito.*

Ἄσταχυς, υος, ὁ, spica, arista, totæ fruges cum spica & culmo, *ut hic, pro στάχυς*, spica, *addito α. ut pro σταφὶς, ἡ, ἀσταφὶς*, uva passa. *στάχυς autem derivatur à στίξ*, ordo, *à στείχω, secundùm Martin. Harmarus autem deducit à στάω & χύω*, fundo: *seges suo stat caule, & spicæ fluitant, quasi à vento fusæ.*

Ἀλα-

149 Ἀλαλητὸς, ὁ, clamor. *propriè militum dicentium ἀλαλή. quod est vox quædam inarticulata, quæ à militibus ante pugnam editur generaliter* strepor *&* ululatus aliquis. *hinc* ἀλαλάζω, talem clamorem edo *quidam deducunt* ἀλαλὴ *ab* ἄλα *Accusat nominis* ἅλς, mare, *quòd perpetuò strepitum edit, inde faciendo* ἄλη: *&* *per reduplicationem* ἀλαλή. *alii autem* ἀλαλητὸς *deducunt ab* α *pleonastico &* λαλέω. *alii ab* α, *id est*, ὁμοῦ, *&* λαλέω.

150 Ὑπένερθε, *Poëtica vox*, sub, *cum Genit. ut hîc. aliquando* subtus infra, *sine casu, dicitur &* ὑπένερθεν. *ab* ὑπὸ *&* ἔνερθε, infra, inferius. *item* ἔνερθε, *pro* ἐνέρθε. *ab* ἔνερος, inferus, mortuus. *hinc* ἐνέρτερος, *pro* ἐνερώτερος, *Iliad.* ε. 898 ἦσθα ἐνέρτερος οὐρανιώνων, fuisses inferior cœlitibus. *ab* ἐν ἔρα, in terra ἔρα, ἡ, terra. *dicitur etiam* νέρθε *&* νέρθεν, *&* νέρτερος, *pro* ἔνερθε, *&c Il* η.

Κονίη, ἡ, pulvis, *ut hîc. aliquando* cœnum. *item* arena, *seu* sabulum littoreum. *aut* fluviatile. *frequenter usurpatur pro* humi *in Dativ. plur & aliquando additur* χαμαὶ, *ut Iliad.* ε. 583. χαμαὶ πέσεν ἐν κονίῃσι. *Od.* λ. 599 *significat illum vaporem, qui cum vehementi sudore corpore emittitur* κατὰ δ' ἱδρὼς --- ἔρρεεν ἐκ μελέων, κονίη δ' ἐκ κρατὸς ὀρώρει. *aliquando* cinis foci *à* κόνις, pulvis. *derivatur secundùm Eustath à* καίω, *idem quod* κόπτω, scindo, *ut sit ἡ* εἰς σμικρὰ κεκομμένη γῆ. *secundùm Martin. à* κάω, uro *cinis est pulvis ex re usta nascens. vel secundùm Harmar. à* κινέω, moveo, *quia faciliè supplosione pedum excitatur.*

151 Ἀείρω tollo, attollo. *aliquando* porto. *aliquando* fero, affero. *item* eripio, aufero, subtraho. ἀείρομαι *idem, Od* ο. 106. *aliquando passivè, ut hîc*, κονίη ἀειρομένη, pulvis excitatus. *& Il.* ψ. 365. *& alibi. dicitur autem, inquit Eustath. quasi* εἰς ἀέρα αἴρω, in aërem levo *est &* ἀείρω, necto, *ut Iliad.* κ. 499. σὺν δ' ἤειρεν ἱμᾶσι, colligavitque loris.

153 Οὐρὸς, fossa, *quâ navis in mare deducitur.* τόπος ὅθεν ἡ ναῦς ὁρμᾷ, *id est*, ὁρμᾷ, καθελκομένη εἰς θάλασσαν, *inquit Eustath.*

Ἐκκαθαίρω, purgo, detergo. *à* καθαίρω, purgo. *ponitur cum*

cum duplici Accuſ. Iliad. 666. Φοῖβε κελαινεφὲς αἷμα κάθηρον ἐλθὼν ἐκ βελέων Σαρπηδόνα, Phœbe atro ſanguine purga Sarpedonem. *ſignificat &* orno. ἀ κὶ τῷ αἴρω. *ſordès enim purgando tolluntur.*

μένος, *ab* ἵεμαι, *cum leni*, eo, *aut* ruo, eo cum impetu, *ut hic*, *aut* impetu feror. *at* ἱέμενος *cum aſpero*, cupiens. *ab* ἵεμαι. *Vid. Iliad.* λ. 168. 154

πὸ δ' ἤρεον. *pro* ὑφήρεον. *ab* ὑφαιρέω, ſubduco, *ab* αἱρέω. *Ante.*

νθαῦτα, tunc ibi. 155

πέρμορον. & ὑπέρμορα, præter fatum. *pro* ὑπὲρ μοῖραν, contra quod in fatis erat, ἀ μοῖρα. fatum.

'τρυτώνη, indomita *in fœminino tantùm, Atticè. Minervæ epitheton* ἀ τρύω, attero abſumo, defatigo, vexo. *ita dicitur Minerva, quòd ſit* ἄτρυτος, ἀκαταπόνητος, *quòd* bellicis laboribus non defatigetur. 157

ῶτος *cum ω ó. vel ut alii volunt.* νῶτον, τὸ dorſum, tergum. *aliquando pro μέλεσι νωταίοις, vel νωταίω κρέατι, vel ψοᾳ. pro* carne tergi, *vel* partibus : *quæ quia optima habitæ ſunt, in conviviis ei qui digniſsimus habebatur, datæ fuerunt in honoris ſignum, & hinc vocantur* νῶτα γεράσμια. *Hym in Merc* terga venerabilia. *aliquando* tergus beſtiæ, *vel* extrema corporis pars. *ponitur aliquando pro* ſuperficie maris, *ut hic. dicitur etiam de* haſta, *Il. υ.* 278 ἐγχείη δ' ἄρ' ὑπὲρ νώτου ἐνὶ γαίῃ ἔστη ἱεμένη ſtetit erecta, *Il. θ.* 94. πῇ φεύγεις μετὰ νῶτα βαλὼν, quò fugis, *ut & Latini*, terga dare. *derivatur* ἀ νεύω, *inquit Martin. quod inclinato tergo nutamus, Harm. Genit.* ου, *in plurali*, τὰ νῶτα. 159

κὰδ δὲ, *pro* κατὰ δὲ. 160

ίης, *pro* γαίης. γαῖα, terra. *Ante.* 162

'γανὸς, lenis, mitis, *ut hic*, placidus. ἀ γάνυμαι, gaudeo, *& α epitatico præpoſito hinc* ἀγανόφρων, *Il. υ.* 467. benignus. & *ω.* 471. ἀγανοφροσύνη, benignitas, lenitas. *eſt &* ἀγανὸς, *per Antiphraſin*, ſævus, crudelis: *quod etiam poteſt derivari ab* ἄγαν, valdè ; & αἰνὸς, gravis. *ſed* ἄγανον, τὸ, lignum fractum. 164

'μφιέλισσα, utrimque agitatus, circum agitabilis, ἀμφοτέρωθεν 165

τέρωθεν ταῖς κώπαις ἐλαυνόμενος, ut navis quæ utrimque remis impellitur. *vel* εἰς ἑκατέρα τὰ πλευρὰ στρεφόμενος, circum agitabilis, *epitheton navis apud Homer. ab* ἀμφὶ & ἑλίσσω. *Ante.*

169 Ἀτάλαντος, ὁ, ἡ, *propriè*: ejusdem ponderis, par, æqualis. *sæpè habet Dativ. personæ & Accusat. rei, in qua fit comparatio, ut hic. aliquando res per concretum exprimitur. aliquando* similis. ἀτάλαντον, trutina, lanx. *aliquando id quod lanci imponitur ponderandum, nominatim pondus 25. librarum Il. ι. 122.* δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα, decem auri talenta. *De varietate talentorum, vide Budæum. Constantinus annotat apud Homerum esse minimum pondus quod probat ex Il. ψ. 269. in ludis funebribus Patrocli ubi primum equitem donavit muliere, & tripode ansato secundum equâ, tertium lebete.* τῷ δὲ τετάρτῳ θῆκε δύω χρυσοῖο τάλαντα; *at quarto posuit duo auri talenta ultimum præmium minoris esset pretii, quàm antecedentia, inquit Constant. derivatur autem τάλαντον παρὰ τὸ τλῆναι, fero.* ἀτάλαντος *autem dicitur quasi* ἀντιτάλαντος; *idem.*

170 Ἑσταότ', stantem. *Part. præt.* ἑστεώς, *per Ionic Sync. pro* ἑστηκώς *hoc autem pro* ἑστηκώς; *verso η in α, ut quidam volunt, à verbo* ἵστημι. *Hic autem nota,* ἔστην, *Aor. 2. &* ἕστηκα, *neutram habere significationem, ut hic,* ἑσταότ'; stantem *cum Præpositione* περὶ, *aliquando significat* defendere. *aliquando ω in obliquis. aliquando* positum esse. *Ita &* ἔστην. *ut ante, Il. α. 34.* ἵστημι *autem activè significat, ut Il. σ. 345.* τρίποδ' ἵστασαν ἐν πυρὶ, tripodem statuerunt in igne. ἵσταμαι *autem & activè*, statuo, & *neut.* sto.

Εὔσελμος, ὁ, ἡ, bene tabulatus. *à* σέλμα. τὸ, transtrum, spatium inter duas lineas. *item* spatium inter tabulata navis. σέλις *autem* (*ut Martinio placet*) *à* σέλας, fulgur, lumen; *quòd splendor inter lineas ductas appareat inquit Harmarus. Poët pro* εὔσελμος, *dicitur* ἐϋσσέλμος, & ἐϋσσελμος.

172 Ἀγχοῦ, *idem quod* ἄγχι propè *Vid. β* 58.

173 Πολυμήχανος, ὁ, ἡ, valdè artificiosus, qui est prompt[illegible]

ad multa machinanda ingenio, induſtrius, acutus, verſutus, prudens. *à* πολὺς *&* μηχανὴ, ἡ, artificium. *item* aſtutia, ſolertia, *item* fabrica, machina. *à* μῆχος *idem.*

ῶ, curro, curſu feror, curſu contendo. *Futur.* θεύσομαι.

αῖνα, ἡ, palla, veſtis, *quæ tunica exteriori ſuperinduitur.* ἱμάτιον ἐπὶ τὸ χιτῶνι, *unde Il.* β. 262. ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω χλαῖναν τ' ἠδὲ χιτῶνα, te charis veſtibus exuero, pallio, & tunicâ. *veſtis quæ pro tempore ſumitur ad ventos, pluviam, & frigus depellendum. hinc dicitur Iliad.* π. 223. εὐπλήσασα χιτώνων χλαινάων τ' ἀνεμοσκεπέων, bene implens tunicis, chlænisque arcentibus ventum. *& Od.* ξ. 529. ἀμφὶ δὲ χλαῖναν ἑέσατ' ἀλεξάνεμον, chlænam induit ventum expellentem, *aliquando ea veſtis, quâ quis honoris vel ornamenti gratiâ induitur, ut Od.* κ. 365. *dicitur etiam de craſſioribus illis tegumentis, in quibus dormimus aut cubamus. derivatur à* χλιαίνω, calefacio. 183

παδέω, *pro quo apud Homer. ſemper* ὀπηδέω, *aliquando* ſequor, *ut hic*, *aliquando* adſum, *aliquando* procedo. *item* opitulor. *aliquando* fruitionem *ſignificat, ut Hym. in Terram* 12. ὄλβος δὲ πολὺς καὶ πλοῦτος ὀπηδεῖ. fœlicitate & multis divitiis fruuntur. *hinc* ὀπηδὸς, comes, aſſectator. *derivatur Aor.* 2. *à* ὀπάζω, perſequor. *item* ſequi jubeo, comitem adjungo. *aliquando* præbeo, do *& in malam partem, Od.* ψ. 210. Θεοὶ δ' ὤπαζον ὀϊζύν, Dei autem dederunt ærumnam. *aliquando* addo, pergo, *ut Hym. in Merc.* 120. ἔργῳ δ' ἔργον ὄπαζε, in opere pergebat. ὀπάζομαι, *à perſequente* urgeor, augeor, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ, torrens de montibus auctus Jovis imbre. *item* comitem accipio. *ab* ἕπομαι ſequor. 184

ρητύσασκε, *Ion. pro* ἐρήτυσε, inhibuit. 189

εδίττω, terreo, timeo. *hinc* δεδίττομαι, *ſive* δεδίσσομαι, *idem. item* terreor, trepido, attonitus ſum. *pro quo (per Epenth. ει)* δειδίττομαι *&* δειδίσσομαι, *ut hic*, δειδίσσεσθαι, trepidare. *Activè legitur Iliad.* ν. 809. τὴν δειδίσ- 190

δειδίσσεαι οὕτως Ἀργείους, cur ita terres Argivos? *in Futu. δειδίξομαι. legitur δειδίζω in eâdem significatione, Il. ε. 790.* ἐδείδισαν ὄβριμον ἔγχος, horrebant fortem hastam. *δειδίσκω, Odyss. ο. 150. derivatur autem δεδίττω ex δέδια. Prat. med. δείδω, pro δέδοικα, excempto δ & ο.*

191 Ἱδρύω, ἵδρυμι, ἱδρυνω, sedere, facio, quiescere facio, *ut hîc, aliquando* sedeo, collocor. *ἱδρυνόμαι,* quiesco, cohibeor. *derivatur ab Eustath ab ἕζω, vel ἵζω idem.*

192 Σάφα, perspicuè, certò, *ut hîc. aliquando* verè *aliquando idem quod ἀκριβῶς. nomen. Adverbiale factum ex σαφία, à σαφὴς,* manifestus; *quod dicitur quasi σάον φάει, inquit Martinius.*

195 Μήτι, nequid. *à μὴ,* non, *& τὶς,* aliquis.

198 Δῆμος, populus, plebs. *à δέω,* ligo: *quia plebs legibus sit obligata. vel quasi sub uno rege συνδεδημένος, inquit Harm.*

Ἐφεύροι, *Indef. 2. Optat. ab ἐφευρίσκω, quod ab ἐπὶ & εὑρίσκω. Ante*

199 Ἐλάσασκε, *Poët. & Ionic. pro ἤλασε, abjecto primo augmento, & σε in σάσκε converso, Aor. 1. act. ab ἐλαύνω, suprà.*

Ὁμοκλήσασκε, *ut ἐλάσασκε, ab ὁμοκλάω, est & έω,* hortor vociferando, fortiter & minaciter clamo, increpo *ab ὁμοκλὴ,* hortamentum quod fit vociferando, increpatio, comminatio. *hoc autem ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ κικλήσκειν,* simul vocare. *ὁμόκλεον, Il. ο. 658. ab ὁμοκλέω.*

200 Ἀτρέμας *ab ἀτρέμα. Il. ο. 318. Adverb.* sine aliquo motu, tacitè. *ab ἄτρομος,* intrepidus. *hoc autem ab α privat. & τρέμω,* horreo, timeo.

201 Ἀπτόλεμος, ὁ, ἡ, imbellis *ab α privat. & πτόλεμος,* bellum. *pro πόλεμος. cujus derivationem vid. α. 60.*

Ἄναλκις, ὁ, ἡ, invalidus. *ab α privat. & ἀλκὴ,* robur, vis corporis. *aliquando* vis animi, fortitudo. *item* remedium, auxilium: *quasi ἀρκὴ, ab ἀρκῶ,* auxilior. *vel παρὰ τὴν ἀκμὴν,* juventute; *quæ strenua est ad labores suscipiendos.*

204 Πολυκοιρανίη, *Ionicè pro πολυκοιρανία, ἡ,* multorum, prin-

principatus *à* πολυκοίρανος, multorum dominus, & rex. *a* πολὺς, *&* κοίρανος, ὁ, princeps. *quod dicitur, inquit Eustath. quasi* τῦ καίρυ κύριος, temporis dominus, *α mutato in* ο. *hinc* κοιρανέω, guberno impero. ὡς ὅγε κοιρανέων, sic ille dominans. 207. *hujus libri.*

Ἀγκυλομήτης, *&* ἀγκυλόμητις, ὁ, ἡ, versutus, qui obliqua cogitat, ἀγκυλομητέω, *Ion. pro* ε. *ab* ἀγκύλος, *quod tria denotat:* 1. obliquum. *ut hic.* 2. rotundum, *vel* curvum, *ut* ἀγκύλα κύκλα, ἀγκύλα τόξα, curvos arcus, *Il.* ε. 109. 3. validum, *ut* ἀγκύλον ἅρμα, *Il.* ζ. 39. *&* μῆτις, consilium. 205

Διέπω, administro, moderor, dispono, dispenso. *à* διὰ *&* ἕπω, operor. *est &* διέπω, renuntio. *ab* ἕπω, dico. 207

Ἠγὴ, *idem quod* ἦχος, *suprà. Il.* α. 156. 209

Αἰγιαλὸς, ὁ, littus. *ab* ἅλς, mare, *&* ἄγω, frango, *quia fluctus maris in littore franguntur. vel ut alii,* παρὰ τὸ τὴν γαῖαν γείτονα εἶναι τῆς ἁλὸς, quòd terra sit vicinior mari. *alii autem* Ægialum *explicant in Achaia flumen, ex quo regio Ionia olim dicebatur Ægialea & Iones* Αἰγιαλεῖς. 210

Σμαραγέω, stridorem edo, resono. *ab antiquo* μάρη, *vel plurali* μάραι, *antiquâ voce,* manus: *quasi plausione manuum.* μάρη *autem ita dicitur, quia manibus dividimus & componimus. à* μείρω, divido. *hæc Martin.*

Μοῦνος, *Ionicè pro* μόνος, solus. 212

Ἀμετροεπὴς, ὁ, ἡ, sine modo loquax. οὐκ ἔχων μέτρον ἔπεσι, non adhibens loquendi modum. *ab* α *privat.* μέτρον, mensura, modus, *&* ἔπω, dico.

Εἰσαΐμεν, videor. *Aor.* 1 *med Opt.* εἴδω, scio. 215

Γελοῖος, ridiculus. γελοίϊος, *Poët. hinc* γελοιάω, *Od.* υ. 390. *à* γέλως, *Il.* α. 598.

Φολκὸς, ὁ. strabo, qui oculos habet distortos: *quasi* φάολκος. *à* φάος, *&* ἕλκω. *Suprà.* 217

Χωλὸς, claudus. *à* κῶλον, *quod aliquando* pes; *ut sit* ὁ πεπονθὼς τὸ κῶλον, pede patiens.

Κυρτὸς, concavus, curvus. ἀ κύπτω, qui inclinatur, curvatur.

218 Συνέχω, constringo, contineo, coërceo. *hinc συνοχὴ, coarctatio, pro quo συνοκωχὴ. hinc συνοχέω, inde συνοχωκώς. Hesychius derivat à συνοίχω, Prat. συνώχα. Att. συνόχωκα. Eustath. à συνοχέω.*

219 Φοξὸς, habens acutum caput. *vel,* qui est distorto vultu. *cujus caput ὀξὺ φαίνεται.*

Ψεδνὸς, raros habens pilos, glaber: *quasi ψεδανὸς, ait Eustathius. à verbo* ψῶ, rado, minuo.

Ἐπενήνοθε, *Prat. med. ex ἐπανθέω, quod habet prat. med. ἔπηνθα, unde fit ἐπήνοθα, epenth τὸ ο, & ἐπενήνοθα, reduplicatione Atticâ. ab ἀνθέω. vel, ut alii, ab ἐπενθέω, θέω, per Metath. mutato in ἔθω, quod compositum cum duplici Præpositione, ἐπὶ & ἐν, est ἐπενθέω.*

Λαχνὴ, lanugo, pili molles. *ex particula λα, epitatica, & χνοῦς, primi pili qui radi possunt. vel à λάσιος,* hirsutus.

222 Κέκληγα, *Prat. med. verbi κλάζω, η pro α.*

223 Νεμεσάω, indignor, irascor, succenseo, cupiens suum cuique νέμεσθαι distribuere, vitio verto. *hinc νεμεσσήθην, Aor. 1. pass. geminato σ Poëticè, & sublato augmento Ionicè. hinc νέμεσις, ἡ,* indignatio cum quadam invidia: *& per consequens, est nomen certæ deæ, quæ insolentiam hominum reprimere & punire solet, νεμέσσηθεν pro νεμεσσήθησαν.*

225 Τέο, *Ionicè pro τοῦ, pro τινὸς, subintelligitur ἕνεκα.*

Ἐπιμέμφομαι, conqueror, expostulo, accuso. *ἐπιμέμφεαι, Ionicâ resolutione, pro φῆ.*

Χατίζω, & χατέω, *verb. Poët.* careo, indigeo. *item* cupio, desidero. *παρὰ τὸ ἔχειν αἰτεῖν,* habere quod petat.

226 Πλεῖος, plenus, *Poëtic. pro πλέος, ου. hinc πλήθω,* impleo.

227 Ἐξαιρέω, eligo, excipio, seligo. *ab αἱρέω, idem. hinc αἵρεσις, ἡ,* electio, optio *& peculiariter,* electio dogmatis orthodoxæ fidei non consoni; *& αἱρετικὸς dicitur, qui ita eligit suam religionem. ἐξαίρετος,* selectus, eximius, *pro quo aliquando ἔξαιτος, Il. μ.*

Μίσγω,

Μίσγω, misceo, permisceo. *ἀ μίγνυμι idem. μίσγεαι pro* 232
μίσγῃ, Ionic.

Φιλότης, ἡ, amicitia, concubitus venereus. *ἀ φίλος. hinc φιλέω*, diligo, osculor, humaniter tracto. *hinc φίλημα*, osculum.

Πέπων, ὁ, ἡ, maturus, percoctus. *propriè de fructibus. Me-* 235
taph mollis, effœminatus, ignavus. *dicuntur Achivi molles & effœminati, quia ubi maturuit fructus dulcis quidem est, sed flaccidus & inutilis. est tamen aliquando vox amicius appellantis, non conviciantis, ut ὦ πέπον, ὦ Μενέλαε. ἀ πέπτω*, coquo. *fructus enim maturantur à sole.*

Τὸ ἔλεγχος, εος, probrum, vituperium, dedecus. *hinc ἐλέγχιστος*, maximè redarguendus; *sed ὁ ἔλεγχος*, argumentum, documentum, criminatio. *ab ἐλέγχω*, arguo, reprehendo. *hoc autem παρὰ τὸ ἕλην ἔχειν, quod res in luce collocet argumentum & criminatio.*

Ἀχαιΐς, δος, ἡ, mulier græca. *Achivos Achivas nominat, ob eorum mollitiem & inertiam. Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.*

Πέσσεμεν, Ionic. pro πέσσειν. ἀ πέσσω, concoquo, digero, 237
quod est Æol. pro πέπτω, idem. Antè.

Μεθήμων, ὁ, ἡ, remissus, negligens. *vel*, cum neglectu 241
quodam missum faciens, *aut* dimittens. *ἀ μεθίημι*, dimitto, missum facio; *quod ἀ μετὰ ἵημι.*

Ἠνίπαπε, pleonasmo poëtico pro ἤνιπε, quod est Prat. med. 245
Attic. ab ἐνίπτω, increpo, *ab ἐνίπω*, reprehendo.

Ἀκριτόμυθος, ὁ ἡ, ἄκριτος περὶ τοῖς λόγοις, qui loquitur 246
inconsideratè, homo indiscreti sermonis. *ab ἄκριτος*, indiscretus. *hoc autem ab α privat. & κριτός, quod ἀ κρίνω*, judico, *& μῦθος*, sermo.

Χερειότερος & χερείων, Poët. pro χείρων, pejor, deterior. 248

Ἅμα, simul, unà cum, *regit Dat.* 249

Τῷ, quare, igitur. 250

Στόμα, τὸ, ος, tum propriè, tum Metaph. ἀ סתם claudere, *vel quasi σιτότομα. ἀ σῖτος*, commeatus, *& τομα*, sectio: *quod ἀ τέμνω*, scindo: *in ore cibus quasi sciditur.*

Φυλάττω, observo, custodio. *ἀ φύλαξ, ὁ, ἡ*, custos. *hoc* 251

autem à φυλή, tribus *Athenis decima urbis pars, quòd* φυλακὰς *haberent* ἐν φυλαῖς. *vel quasi* πυλάοσω, ἀ πύλη, porta: *non est urbs in tuto, nisi portæ occludantur, inquit Harm.*

258 Ἀφραίνω, insanio. *ab α privat.* & φρὴν, mens, sapientia. *item* præcordia.

Ἀποδύω, ἀποδῦμι, exuo.

261 Ἕω, induo. *hinc* εἷμα, vestis, *Æolicè* ἔμμα.

262 Αἰδῶ, *vel potest dici accusativus, ab* ἡ αἰδὼς, τὴν αἰδῶ, *vel per Crasin pro* τὰ αἰδοῖα, inguen, pudenda.

265 Μετάφρενον, interstitium quod est inter lumbos & scapulas, dorsum. *à* μετὰ & φρὴν, *quasi* μετὰ τὰς φρένας, pone præcordia.

266 Ἰδνόω, incurvo, torqueo, flecto. *ab* ἵζω, sedere facio.

Θαλερὸς, virens, humidus, *ut hic. à* θάλλω, vireo, floreo. θάλεος *idem*, η. 475 *vide* ζ. 431.

267 Σμῶδιξ, ἡ, ιγγος, *vel* σμώδιγξ, ιγγος, livor proveniens ex plaga. *à* σμᾶξαι, *quod est Ionibus* πατάξαι.

268 Ταρβέω trepido, paveo. *à* τάρβος, timor. *à* ταράσσω, vexo.

269 Ἀχρεῖον, turpiter, inutiliter, *Adverb. pro* ἀχρείως. *à* χρεία, utilitas, *à* χράομαι.

271 Ἀπομόργνυμι, *vel* ἀπομόργνυμαι, abstergo. *ab* ἀπὸ & μόργνυμι *quod pro* ὀμόργνυμι *idem. hoc autem ab* ἀμέργω, *mutato α in ο.*

Πλησίος, ου, ὁ, propinquus. *à* πλάω, *per Syncopen, pro* πελάω, propinquo *quod à* πέλας, prope.

272 Ἔοργα, *Attic præt. med. pro* ἦργα, *ex* ἔργον, opus. *ab* ἔργω, *sive* ῥέζω.

275 Λωβητὴρ, ὁ, convitiator, contumeliæ, sive injuriæ illator, contumeliâ dignus. *à* λωβάομαι. *à* λώβη, convitium. *Antè.*

Ἐπεσβόλος, verba probrosa in aliquem jaciens, qui invehitur in aliquem. *ab* ἐπὶ, ἔπος, & βάλλω.

276 Θὴν, *Adverb. expletiva part. aliquando* quidem, & θὴν, ινος, ἡ, cumulus. *à* θὶν, *aut* θὶς, ινὸς, ὁ καὶ ἡ, cumulus. *item* littus.

Ἀνίημι, dimitto, remitto, permitto, relinquo. *Fut.* ἀνήσω.

Ἀγήνωρ, ὁ, virilis, generosus, superbus: *quasi ἄγων ἄνδρας*, viros regens. *vel ἄγαν ἀνὴρ* admodum vir. *vel ὁ ἄγαν τῇ ἠνορέῃ χρώμενος*, qui viribus pollet. *vel qui admirationi est propter virilem animam. ab ἄγαμαι*, miror. & *ἠνορέη*, vis. *hinc ἀγηνορίη, Il. ι. 696.* superbia. *Est &* Ἀγήνωρ, *propriè*, Antenoris filius.

Πτολίπορθος, τοῦ πολεις ὁ πέρθων, urbium vastator. *ἀ πέρθω*, vasto, & *πόλις*, civitas, *pro quo sæpe πτόλις, ut πτόλεμος, pro πόλεμος*. 278

Εἰδόμενος, similis. *ab εἴδομαι*, videor, appareo, assimilor. 280

Σιωπάω, sileo, taceo. *ἀ σιωπή*, silentium; *quod dicitur quasi σιγὴ ὀπὸς*, silentium vocis.

Ὕπεσταν, *Bœotic. pro ὑπέστησαν. Aor. 2. act. verbi ὑφίστημι*, suppono, subjicio. 286

Νεαρὸς, novus, recens, tener *item*, qui integris est adhuc viribus, *ἀ νέος*. 289

Χῆρος, viduus. *interdum ponitur Adjectivè. ut hìc, χῆραί τε γυναῖκες. interdum Substantivè sive absolutè, χήρη σοῦ ἔσομαι*, tua ero vidua *ζ. Iliad. dictum est per Antiphrasin ἀ χαρὰ* gaudium. *vel ἀ χωρὶς*, seorsum. *vel ἀ χρεία*, opus.

Ὀδύρομαι, lamentor, lugeo. *ab ὀδύνη*, dolor: *propriè corporis. sed generaliter quicunque dolor vehemens, vel corporis vel animi ab ἔδειν τὸ σῶμα καὶ ψυχὴν. eò quòd edat vel consumat corpus & animam* 290

Ἀνιηθεὶς, molestiá affectus. *ἀνιάω*, dolore afficio. *ab ἀνία* dolor, *Od. η. 193. dicta, inquit Plato, ἀπὸ τοῦ ἐμποδίζειν, τὸ ἰέναι. quod gressum impediat. hinc ἀνιαρὸς, Odyss. ρ. 220. & ἀνιαρέστερος*, tristis, tristior, *Odyss. β. 190.* 291

Μὴν μηνὸς, ὁ, mensis. *ἀ μήνη* luna, *τ. 374. quia olim menses juxta lunæ cursum distributi erant. hoc ἀπὸ τοῦ μὴ μένειν ἐν τῷ αὐτῷ*, quòd non in eodem statu permaneat. 292

Ἀσχαλάα *Poët pro ἀσχαλᾷ ab ἀσχαλάω, idem quod ἀχάλλω Od. β. 193.* contristor, doleo. *ab ἄχος, deductum, interjecto σ, adeo ut ἀσχάλλειν sit ἄχους ἅλις ἔχειν*, affatim doloris habere. 293

Ζυγὸς, jugum, transtrum, *seu* τῶν ἐρεσσόντων καθέδρα, sedes remigum. *hinc* πολύζυγος, *id est*, πολυκάθεδρος, quod multa transtra habet.

Ἄελλα, ἡ, procella, *propriè*, turbo ventorum: *quasi* ἄγαν εἰλοῦσα, valdè convolvens. *ad quam derivationem hic Poëta alludit* ἥν τε ἄελλαι ἐλίσσωσιν, quam procellæ rotant, vel volvunt. *vel* παρὰ τὸ ἄειν, spirare.

294 Χειμέριος, ὁ, ἡ. hybernus *à* χεῖμα. *sive* χειμὼν, ὁ, hyems. *interdum* procella, tempestas. *hoc autem* παρὰ τὸ χέειν ὕδατα, *quòd pluvias fundat hyems imbrifera*.

295 Εἴνατος, nonus *pro* ἔνατος. *scribi potest* ἐννατος. *ab* ἐννέα, novem.

Περιτροπέων, revertens. *Ion pro* περιτροπάων. περιτροπάω, circumeo. *à* τρέπω, verto.

297 Μίμνω, *idem quod* μένω, maneo, permaneo. μιμνόντεσσι, *Poët. Dativ. pro* μίμνουσι. *est & μιμνάζω idem*. 392. *hujus libri*.

Νεμεσίζω, *vel frequentiùs* νεμεσίζομαι, *idem quod* νεμεσάω, *suprà*. *significat &* revereor, ἐπεί ῥα θεοὺς νεμεσίζετο αἰὲν ἐόντας, reverebatur, *Od.* α. 263.

298 Δηρὸς, diuturnus. *à* δὴν diu. (*Poët. Adverb*) *item* pridem. δηρὸν, *adverbialiter pro* δήν.

Κενεὸς, *pro* κενὸς, vacuus, inanis, levis. *ab* κενέω, *inusit.* vacuo, inanio.

300 Ἐτεὸς, *Poët. pro* ἐτὸς, οῦ, ὁ, verus. *ab* εἰμὶ, sum.

Οὐχὶ, *Poët. pro* οὐχὶ. *hoc autem pro* οὐκ.

302 Ἔσσεται, *Poët. pro* ἔσηται. *ab* ἕζω, *à* βαίνω. *Antè*.

303 Χθιζὰ, *pro* χθὲς, heri. *sic pro* πρωΐ, *Poëtic.* πρωΐζα, & πρωΐζον, nudius tertius. *secundùm alios*, hodie mane.

304 Ἀγερέθω, *Poët pro* ἀγείρω, congrego.

305 Κρήνη, fons, & scaturigo *à* κρέω, & *per Syncop.* κρῶ, infundo, misceo.

Ἀμφὶ περὶ *simul sumuntur*. *aliquando pro alterutra sola. vel alterum referatur ad* ἕρδομεν. *interdum* περὶ *præponitur postposita* τε, περί τ' ἀμφί τε τάφρον, *Il.* ρ. 760. *interdum absolutè*, φ. 10.

Πλα-

Πλατάνιςος, ἡ, *idem quod* πλάτανος. platanus. *à* πλατὺς, ὁ latus: *quia arbor hæc latas habet frondes.* 307

Δράκων, *à* δέρκω, *quia est* ὀξυδερκὲς ζῶον. *acutißimè videt. quare à Poëtis præponitur custodia thesaurorum, inquit* Coulon. 308

Δαφοινὸς, sanguineus. *à* δὰ, *particula augmentativa, pro* ζὰ, & φόνος, ὁ, cædes. δὰ, *particula. per se nihil significat, sed in compositione auget. idem est* ζὰ *in compositione, & unum pro altero ponitur. est etiam* δαφοίνεος *idem* σ. 538.

Σμερδαλέος, *idem quod* σμερδνὸς, ε. 742. terribilis intuitu, & generaliter terribilis. *à* μέρδω, privo. *item* intueor, *vel* oculos undequaque obverto. *hinc* σμέρδω, *quasi* ζμέρδω, ζ *ex* ζα *epitatico: idem. aliquando Attici vertunt hoc* ζ *in* σ, *ut* σμικρὸς, *pro* ζμικρὸς. 309

Ἔσαν, *Poët pro* ἦσαν. *tertia plur. Imperf. verbi* εἰμὶ, sum. 311

Νεοσσὸς, pullus. *dicitur quasi* νέον σεσόμενος, qui recens movetur, *vel* νεωστὶ ὀσσόμενος, qui recens vidit.

Στρουθὸς, ὁ, passer. *à* στροῦς, passer, *inquit Martin.*

Πέταλον, folium latum. *à* πετάω, extendo, *vel* folium deciduum. *à* πίπτω, cado: *quia citò defluunt.* 312

Ὑποπεπτηῶς, *per Syncop. Ion. pro* ὑποπεπτηκὼς. *à* πτήσσω, metu contrahor: *propriè de animantibus dicitur, quæ cum hostem conspiciunt in loco ad latendum commodo, præ metu se contrahunt: aut pro* ὑποπεπτεὼς, *per Ectasin, quod est Participium Epentheticum pro Attico contracto* ὑποπεπτὼς, *ex Ionico* ὑποπεπταὼς. *hoc verò pro communi* ὑποπεπτακὼς. *ab* ἵπτημι, *Fut.* 1. πτήσω. *Præterit.* πέπτακα, volo, volas.

Ὀκτὼ, octo. 313

Ἐλεεινὸς, miserabilis. *ab* ἔλεος. ἐλεεινὰ, miserabiliter, *Adverb.* 314

Κατεσθίω, prorsus edo, peredo. *ab* ἐσθίω, *quod est ab* ἔδω, edo.

Τρίζω, strideo *verbum ex sono factum per Onomatopœian,* τετριγῶτας, *Poët. pro* τετριγότας.

Ἀμφιποτάω, circumvolo. ποτάομαι, volo. *à* πέτομαι, *idem.* 315

316 Πτέρυξ, ἡ *idem quod* πτερὸν, ala. *hoc autem quasi* πέτερον. *à* πέτομαι, volo, *quòd ejus beneficio aves volant.*

Ἰαχὼς, *Præt. med. Partic. ab* ἰάχω, clamo, *ab* ἀχέω. *Doricè pro* ἠχέω, resono. *vel quasi* ἰαν χέω, vocem effundo.

317 Φάγω, *idem quod* ἔδω.

318 Ἀρίζηλος, *pro* ἀρίδηλος, ὁ, ἡ, inclytus, illustris. ἄρι, *Dor. pro* ἔρι *&* δῆλος, manifestus, δ. *verso in* ζ *vel*, multum æmulandus. *ab* ἄρι, valdè, *&* ζῆλος, ὁ, æmulatio. *item* clarus, illustris.

Ἔφηνε, *Aor.* 1. *verbi* φαίνω.

319 Λᾶας, λάαος, ὁ, *contract.* λᾶς. *Genit.* λᾶος. *est etiam* Λάας *nomen urbis Laconicæ.* β. 585.

320 Θαυμάζω, miror, admiror. *à* θαῦμα, admiratio, res mira: *quasi* θεάμαζα. *à* θεάομαι, cerno, specto. *legitur* θαυμαίνω, *pro* θαυμάζω, *Hymn. in Vener.* 84. *& inde in Fut. Part.* θαυμανέοντες, *Od.* θ. 108.

321 Πέλωρ, τὸ, monstrum, portentum: *quasi* πέλας ὄρος, prope montem, *ratione magnitudinis. est &* πέλωρος *idem*, ε. 741.

323 Ἄνεω, *Nomin. plur.* 4. *Declin. simplicium, pro* ἄναυος, mutus. *ab* α *privat. &* αὔω, clamo.

324 Τέρας, τὸ prodigium: *quasi* ἔρας, *ab* εἴρω, nuncio.

325 Ὀψιμος, ὁ, ἡ, serus: *&* ὀψιτέλεστος, imperfectus. *ab* ὀψὲ sero, *&* τελέω, *suprà.*

Οὗ, *Poëtic. pro* οὗ, cujus.

332 Εἴσοκεν, quousque.

Ἄστυ, εος, τὸ, urbs. *à* στάω, sto, *&* ἅμα, simul, *ob ædes contiguas, Harm.*

334 Κόναβος, ὁ, strepitus, sonitus ligni aridi cum colliditur. παρὰ τὸ βοὴν κινεῖν, ab excitando clamore. *vel à* κόνις, pulvis, *&* βοὴ. *est enim* κόναβος, clamor è terra. *Etym. hinc* κοναβέω, strepitum facio: *&* κοναβίζω, *idem.*

338 Νηπίαχος, infans. *à* νήπιος, *idem.*

Μέλει, *Imperf.* curæ est.

Πολεμήϊος, *Ionic pro* πολέμειος, *qui* ει *dissolvunt, & vertunt* ε *in* η, *à* πόλεμος. *Ante.*

Συμ-

Συνθεσία, ἡ, pactum. ἀ συντίθημι. 339

Μῆδος, cura, consilium. 340

Σπονδή, ἡ, libatio. *peculiariter* σπονδαὶ, *dicuntur libationes, quæ in sanciendis fœderibus adhibentur: & sæpe etiam ipsa fœdera. à* σπένδω, *Futur.* σπείσω, *tanquam à* σπείδω, libo, *vino, vel simili liquore.* 341

Ἄκρητος ὁ, ἡ non mixtus. (*ab α privat. &* κεράω, *Sync.* κράω, misceo) sincerus, inviolatus, *hic.*

Δεξιά, ἡ, dextera. ἀ δέχομαι, accipio.

Ἔπιθμεν, *Syncop. pro* ἐπίθομεν ἀ πείθω.

Μῆχος, τὸ, artificium, consilium, remedium. μηχανὴ, *idem. hinc* μηχανάω, molior. 342

Ἀστεμφής, έος, ὁ ἡ immotus. *item* ἀστεμβής. *ab α privat. &* στέμβω, injuriâ afficio, motito: & moveo. 344

Ἄρχευ, *Doricè pro* ἄρχου. *ab* ἄρχομαι, impero. 345

Ἄνυσις, ἡ, perfectio, effectio, profectus. *ab* ἀνύω, perficio, expedio, festino. *item* impleo. 347

Γνάμεναι, *Doric. & Attic. pro* γνῶναι. *ab* ἔγνων. 349

Ἐναίσιμος, ὁ, ἡ, fatalis, aliquid portendens. *item* idoneus, decens, utilis, suavis, faustus. *ab* αἶσα, ἡ. fatum, parca, *item* pars. *item* officium. 353

Ἐπείγω, urgeo, impello. γομαι, urgeor, accingo me, festino. 354

Ὅρμημα, τὸ, incitamentum, impetus, conatus, cura, anxietas, id ad quod animus quasi impetu fertur. *ab* ὁρμὴ, impetus. 356

Πότμος, ὁ, fatum, sors, mors. ἀ πίπτω, cado. *quia est* ἡ ἐσχάτη σύμπτωσις τοῦ βίου, ultimus vitæ casus. *vel, quia mors homines in terram dejicit. vel quasi* πότος, *a* πέτω, volo. *volat enim irrevocabile fatum*, Coul. 359

Ἐπίσπῃ, *Aor. 2. Subjunct. ab* ἐπισπῶ, obeo. *ab* ἐπὶ & σπῶ, *verbo Poëtic.*

Ἀπόβλητος, ὁ, ἡ, abjiciendus. ἀπόβλητον ἔπος, rejiculum verbum & indignum quod audiatur. *ab* ἀποβάλλω, rejicio. 361

Φῦλον, tribus. gens. ἀ φύω, gigno. *vel* ἀ φύλλον, folium. *Metaph petita a foliis: ea enim hominum nascendi est ratio qua foliorum.* 362

Φρήτρη, Ionic. pro φρατρία, seu φατρία, quasi πατρία, curia, conventiculum, sodalitas, tribus. *quasi pagi propria sibi sacra peculiariaque communiter habentium. Athenis sic dicta fuit tertia tribus pars, quum populus in quatuor duntaxat tribus divisus erat. Scapul. Athenis olim ex quatuor tribubus quæ illic erant, quarta dicta est φρατρία.* Coul.

367 Θεοπροπίη, divinitùs. *vel* θεοπροπίη, *sub.* γνώμη, divina sententia. *à* θεοπρόπος, ὁ, ἡ, divinus *dictum quasi* ἐκ Θεοῦ πεσὼν, à Deo cadens. *vel* ὃν Θεὸς εἴποι, quem Deus alloquatur. ὁ θέσπις, ὁ, ἡ, vaticinus. *à* θεὸς *&* ἔπω. *vel ab* ὀπίζω, do. *&* θεὸς, Deus, *à* Deo missus. *hinc Iliad.* μ. 177. τὸ πῦρ θεσπιδαὲς, ignis divinitus ardens. *à* δαίω, uro.

368 Κακότης, ἡ, pravitas, ignavia. *à* κακὸς. α. 9.

Ἀφραδία, ἡ, *Ionic.* ἀφραδίη, inconsiderantia, temeritas. *aliquando* inscitia. *ab* ἀφραδὴς, inconsultus, qui multa loquendo effutit. *ab* α *privat. vel epitatico, &* φράζω, dico, memoro, expono.

370 Μὰν, *Dorice pro* μὴν. *quæ particula plerisque aliis particulis subjungitur,* ἀλλὰ μὴν, atqui. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ, neque vero, ἦ μὴν certè quidem, *ut hìc.*

372 Συμφράδμων, ὁ, ἡ, consiliator, qui unà consilia agitat. *interdum* unanimis. *à* συμφράζομαι, simul delibero. *à* σὺν, cum, *&* φράζομαι. *aliquando* consilium ineo, delibero. *à* φράζω.

374 Ἁλίσκω, capio. *Fut.* ἁλώσω. *Præt.* ἥλωκα. *Attic.* ἑάλωκα. *Aor. 2.* ἥλων. *unde partic.* ἁλοὺς. *Præt. autem & Aor. 2. pass. significant. hinc* ἁλῶναι, *act. &* ἁλῆναι, *pass.* π. 714.

376 Νεῖκος, contentio. παρὰ τὸ νέοις ἐοικέναι, *quòd juvenum proprium sit contentiosos esse. vel quasi* νεεικος, *à particula privat.* νε, *&* εἴκω, cedo.

378 Χαλεπαίνω, succenseo, injuriâ lacesso, exhibeo me difficilem & asperum. *à* χαλεπὸς, difficilis, molestus, gravis, asper.

380 Ἀνάβλησις, ἡ, dilatio. *ab* ἀναβάλλω.

381 Ἠβαιὸς, *pro* βαιὸς, parvus; *propriè* ἠβαιὸν *est quod* διὰ σμι-

σμικρότητα μὴ βάσιν ἔχῃ ; *ubi η pro α privat. vel* ἠβαιὸς, *pro* βαιὸς, parvus, modicus, *& pleonasm.* τῷ η.

Ξυνάγω, *pro* συνάγω. ξυνάγωμεν ἄρηα, ut committamus pugnam.

Δεῖπνον, τὸ, prandium, cœna. *quasi* μεθ' ὃ ἔδει πονεῖν, post quod laborandum erat *ter enim cibum sumebant: primò* ἄριστον. *ante solis exortum; deinde* δεῖπνον; *tertiò* δόρπον, *quod cœna nostra est*, Coul.

Θήγω, acuo: *quasi* εἰς θοὸν ἄγειν, ad celeritatem impellere, *hic* θηγάνη, cos. 382

Ἀσπὶς, ἡ, clypeus. *à* σπῶ, σπίζω, extendo, *& α privat. quoniam non in longum producitur, sed rotundus est.*

Ἅρμα, τὸ, currus. *ab* ἁρμὸς, apta commissura, *ab* ἄρω, coapto. 384

Ἀμφὶς ἅρματος, ex utraque parte currus.

Μεδίεθω, *hic* curo, curam gero.

Στυγερὸς, tristis, horribilis, odio dignus. *à* στυγέω, odi, tremo, horreo, metuo. *à* στὺξ, Styx, palus inferorum. 385

Παυσωλὴ, cessatio. *à* παύω, cesso. 386

Διακρίνω, discerno, dissipo perficio, dirimo, *ut hic* διακρινέει, *pro* ει, *Ionic. dissolu. Fut.* 1. 387

Ἱδρώω, sudo, *Attic pro* ἱδρόω. *ab* ἱδρὼς, ῶτος, ὁ, sudor, *hoc autem ab* ἴδος, *idem: quasi* ὕδος, *ab* ὕδωρ, aqua; *mutato spiritu cum prima litera.* 388

Τεῦ, *Doricè pro* τοῦ. *hoc verò pro* τινὸς.

Τελαμὼν, lorum: *à quo clypeus aut gladius suspenditur. à* τλάω, fero. *vel à* τείνω, extendo: *quòd extendatur lorum. hinc* Τελαμώνιος, *prop.* Ajax, β. 528.

Ἀμφιβρότος, circa hominem tegens undique. *ab* ἀμφὶ, *&* βροτὸς, mortalis. 389

Καμεῖται, *Fut. med. à* κάμνω. *Fut.* καμῶ. *med.* καμοῦμαι.

Εὔξοος, pulchrè politus. *idem* εὔξεστος. *ab* εὖ, bene, *&* ξύω, *idem quod* ξέω, scalpo, cudo polio. 390

Τιταίνω, tendo, extendo, traho, omnibus nervis contendo. *à* τείνω, tendo, extendo.

Μιμνάζω, *à* μίμνω, *à* μένω, maneo. 392

393 Ἄρκιος, ὁ, ἡ, sufficiens, vim propulsandi habens, utilis, adjuvans. *item* possibile. *ab* ἀρκέω, propulso. *item* auxilior. *item*, sufficio, sum contentus.

393 Ἀκτὴ, littus maris. *ab* ἄγω, frango. *quia undæ allisæ littori franguntur.* ἀκταὶ *etiam sunt rupes in littore in mare projectæ* μ. 248. *item*, fruges, λ. 630. ἀλφίτε ἱερᾶ ἀκτῆς, farinæ sacræ fructum. παρὰ τὸ κατάγνυσθαι. *quod terantur. moliunturque. hinc* Ἀκταίη, Actæa Nympha, σ. 41.

396 Προβλὴς, ὁ, ἡ, projectus, prominens. *à* προβάλλω, projicio, emitto, promo προβλῆτι σκοπέλῳ, *id est*, scopulo προέχοντι εἰς τὴν θάλασσαν, prominenti in mari.

Σκόπελος, scopulus, locus eminens, *seu* altus, *ex quo circumjacentia oculis lustrari queunt.* *à* σκοπέω, speculor: *quod à* σκέπτομαι, circumspicio. *item* inviso, visito.

397 Παντοῖος, omnigenus, varius. *à* πᾶς.

398 Ἀνστὰς, *Poet. pro* ἀναστὰς. *item* ἀνστήτην, *pro* ἀναστήτην, α. 305. ἀνστήμεναι, κ. 55. ἀνστήσεσθαι β. 694.

Ὀρέοντο. *pro* ὤροντο, *Poetica augmenti detractione*, & *Pleonasmo* τοῦ ε. ruebant.

Κεδάζω, *idem quod* σκεδάζω, dispergo.

400 Αἰειγενέτης, ὁ, semper existens. *ab* αἰεὶ, & γίνομαι, sum. *epitheton Deorum*, θεῶν αἰειγενετάων, *pro* ῶν. & θεοῖς αἰειγενέτῃσι *pro* ταῖς, γ. 269.

401 Μῶλος, ὁ, strages in bello, pugna diuturna, vulnus. *item*, pondus. παρὰ τὸ μὴ λύεσθαι ταχέως, quod non citò dirimatur. *vel quia* ὁμοῦ ὀλλύει, simul perdit.

403 Πεντάετηρος, quinquennis, quinquennalis. *ab* ἔτος, τὸ, annus. πεντάετης, *idem*.

404 Κικλήσκω, *verbum Poet. idem quod* καλέω, voco. κίκλησκεν, *pro* ἐκίκλησκεν.

407 Ἕξ, sex, ἕκτος, sextus.

408 Αὐτόματος, ὁ, ἡ, spontaneus, ex seipso aliquid faciens. *ab* αὐτὸς, & μάω, cupio.

Βοὴ clamor, *ut* βοὴ ἄσβεστος, immensus clamor, λ. 50. *item* pugna, *quòd clamore magno confligi soleat.* *à* βοάω, clamo. βοὴν ἀγαθὸς bello fortis *per Ellipsin Præpositionis* κατὰ, *ut*, ἄπαντα σοφὸς, *apud Theog.*

Ἤδεα,

Ἤδεα, Ion. pro ᾔδειν. ab εἴδω. *Solent enim Iones primas personas singulares Plusquamperf. in ειν desinentes, terminare in εα.* 409

Ἀδελφεὸς, & ἀδελφειὸς, *Iliad. ι. 21. Poët. pro* ἀδελφὸς, frater. *Addito ε. Attic. Accus. pro Nomin. ut hic.*

Αἰθὴρ, ὁ, æther *item*, cœlum. *vel ab* αἴθω uro: *quòd superiora sunt igne plena. vel ab* ἀεὶ, & θέω, *quia cœli semper sunt in motu.* 412

Πρηνὴς, ὁ, ἡ, pronus, in caput propendens, præceps. παρὰ τὸ πρὸ νενευκέναι in anterius labi. 414

Βαλέειν, *Ionic. pro* βαλεῖν, *Fut.* I.

Μέλαθρον, *propriè*, medium tecti lignum, *sic dictum* ἀπὸ τοῦ μελαίνεσθαι ὑπὸ τοῦ καπνοῦ *quia nigrescit à fumo. per Synecdoch ponitur pro tota domo.*

Αἰθαλόεις, ardens. *ab* αἴθω uro. 415

Δήϊος, *pro* δάϊος, *Ionic.* hostilis, ardens, bellicosus. *à* δαίω, uro. δηΐοιο, *pro* δηΐου, *Ion. ut &* δηΐοισι *pro* δηΐοις, δ 373.

Θύρετρον, janua. *à* θύρα, ἡ, *idem.* β. 788. *hinc* θυρίον, ostiolum, & fenestra, & θυρεὸς, *Odyss.* ι. 240, saxum claudens speluncæ ingressum.

Δαΐξαι, *Aor.* 1. *Infin.* δαΐζω. *Fut.* σω *vel* ξω, divido, partior, discindo. *à* δαίω, *idem.* δαίσαι γάμον, instruere nuptiales epulas, τ. 299. & δαισάμενοι, *Odyss.* η. 188. epulati *à* δαίω, epulor. 416

Ῥωγαλέος, fissus, fractus. *à* ῥωγὴ, fissura. *à* ῥηγνύω, frango. 417

Λαζοίατο, *Opt. Ionic pro* λάζοιντο. *à* λάζομαι, prehendo, capio. *idem* λαμβάνω, *in prosa, cujus Aor.* 2. ἔλαβον, *ex quo fit verbum* λαβάζω. & *Syncope* λάζω. 418

Ὀδὰξ, mordicus, *Adverb. ab* ὀδὲς, ὁ, dens. *ab* ἔδω, edo.

Κονία, pulvis. *à* κόνις, *idem.* *à* καίω, uro: *cinis est pulvis ex re usta nascens. vel à* κινέω, *quia facili supplosione pedis excitatur.*

Δέκτο, *Syncope pro* ἐδέχετο, *Ionic.* κ *pro* χ. *vel Poet. pro* ἐδέδεκτο. 3. *sing. plusquamperf.* δέχομαι. 420

Ἀμέγαρτος, ὁ, ἡ, immensus, *à* μέγας & α, *idem quod* σὺν, *aliquando*, invidiâ carens; & *sic ab α privat.* & μεγαίρω, invideo.

Ὑπείρεχον

Αὖτε, *hìc*, posthac. 135

Ἅλις, satis, abundè, *regit Genit.* 137

Νέω, nato, eo, venio, neo, glomero, acervo, cumulo. *hinc* νηέω, *seu* νηνέω, glomero, cumulo, impleo, onero. νηησάσθω, *Aor. 1. med. Imperat.*

Ληῒς, ΐδος, ἡ, præda, *id est*, corpora ipsa rerum quæ capta sunt. *à* λεία, ἡ, *idem, pro quo Ion.* ληΐη, *idem.* ἀλήϊος, pauper sine præda, 125. *nisi sit exponendum* τὸν ἔχων τὰ λήϊα, segetibus carens. 138

Ἔωσι, *Poët. pro* ὦσι, *Subjunct. præs. verbi* εἰμὶ. 140

Οὖθαρ, ατος, τὸ, uber, mamma: *propriè in belluis. hinc* οὖθαρ, ἀρούρης. *Metaph.* ubertas, soli, *id est*, uberrimum solum. 141

Θαλία, *pro* θάλεια, *ponitur substant.* omnium rerum affluentia, *seu* copia. *aliquando pro* δαὶς θάλεια, *id est*, convivium lætum. 143

146 Ἕδνα. *seu* ἔεδνα, τὰ, *in pluralitantùm*, dos, *id est*, munera, quæ sponsus sponsæ dat. *hinc* ἀνάεδνος, dote carens indotata. *sic dicitur sponsa respectu sponsi, a quo sponsalium munerum nihil accepit, & parentum, à quibus nihil dotis accepit.* ἕδνα *autem dicitur quasi* ἥδανα. *ab* ἥδω, *quòd iis exhilaretur, & concilietur sponsa. vel,* παρὰ τὸ ἕζω, *quasi* ἑδρᾶνα καὶ στηρίγματα τοῦ γάμου.

147 Ἐπιμείλιον. τὸ, *seu* ἐπιμείλια, munera quibus aliquem demulcemus, *aut* illa dos quæ sponso datur. *à* μείλιον *idem : nam quidam scribunt disjunctè* ἐπὶ μείλια, *adeò ut* ἐπὶ *per Tmesin à verbo* δώσω *dividatur. alii exponunt* dotem, qua demulcetur vir conjugem ducturus. *quod à* μειλίσσω, mellitum reddo, *Metaph.* verbis *ve* factis demulceo. *vel à* μέλει, curæ est.

151 Βαθύλειμος ὁ καὶ ἡ, herbosus, compascuus, profunda haben prata. *à* βαθὺς, & λειμὼν, pratum.

154 Νέαται, *detracto augmento, pro* νενέαται· *hoc autem pro* νένωνται, *a* νένημι, *perf pass. verbi* νέω, *significantis* struo acervo. *vel, à* νέω, *Ion. pro* νάω, *pro* ναίω, habito : *ade ut* πᾶσαι δ' ἐγγὺς ἁλὸς νέαται, *exponi possit*, hæc omni oppida juxta mare habitantur, *vel* juxta mare struct sunt.

155 Πολύῤῥην, ὁ, ἡ, multas oves possidens, *& per consequens* dives. *à* ῥὴν, ὁ, ovis. *ab* ἄρην, *vel* ἄρς *idem.*

Πολυβούτης, multas habens boves. *à* βοῦς.

156 Δωτίνη, munus, *propriè quod consumitur : ut* vinum, vesti *à* δίδωμι.

Θέμις, lex, *antè.* θέμιστες *etiam* tributa, & vectigali quæ principibus solvuntur, *significant.* οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ λιπαρὰς τελέουσι θέμιστας, ejus sub sceptro optima sol vent tributa. *vel ut alii exponunt*, læta perficient jur *sunt etiam* θέμιστες, oracula, *Od.* π. 403.

159 Δμηθήτω, *Aor.* 1. *pass Imperat.* à δαμάω. *Præt.* δέδμηκα *Præt. pass.* δέδμημαι. *Aorist.* 1. ἐδμήθην. *Vide* ἐδάμη *antè.* §. 860.

Ἀμείλιχος, ὁ, ἡ, implacabilis. *ab* α *privat.* & μείλιχος placidus, blandus. *à* μειλίσσω, *quod à* μέλι, τὸ, mel. & ἀμείλικτος *idem quod* ἀμείλιχος, λ. 137.

Ἀδάμαστος, indomitus *à δαμάω antè. est & ἄδμητος.* κ. 293. indomitus: *&* ἀδμῆτις, ψ. 655. indomita: *&* ἀδμὴς, *Od.* δ 637. *ejusdem originis.*

Ὑφίστημι *hic*, cedo. 160

Ὀνοστὸς, ὁ, vituperandus. *ab* ὄνημι, vitupero. *hinc* ὀνοτάζω, carpo, vilipendo, *Hymn. in Merc.* 30. 164

Ἐπόπτομαι, *sive* ἐποπτομαι aspicio, inspicio, viso. *item*, diligenti inspectione secerno, & eligo. *ab* ὄπτομαι. 167

Εὐφημέω, celebro, laudo *item*, fausta precor. *item*, lingua faveo, bona verba dico, *ut h.c. ab* εὖ *&* φημὶ. 171

Ἑαδὼς, *pro* ἡδὼς. *Part. prat. med ab* ἕαδα, *Attic seu Ionica resolutione diphthongi pro* ἧδα. *Prat. med. verbi* ἁνδάνω, *seu* ἅδω, placeo. 173

Ποτὸν, τὸ, potio potus, quod bibitur. πότος. potatio, compotatio. ποτὸς, poculentus. *à* πίω. *Antè.* 175

Δενδίλλω, oculos huc, illucque verto, circumspicio, nutu & gestu monere. *a* δινέω volvo *&* ἰλλω, oculis conniveo, *vel* oculos volvo. *aliquando* vincio, constringo. *ab* ἴλλος, ὁ oculus. 180

Γαιήοχος, ὁ, ἡ, terram continens, qui terram suo ambitu complectitur. *à* γαῖα. ἡ, *&* ἔχω *epithet. Neptuni, vel qua* γαιων τοῖς ὄχοις, ἵπποις *enim est. vel quasi* ἐπὶ τῆς γῆς ὀχόμενος, qui terra sustinetur. 183

Ῥηϊδίως, facilè. *à* ῥηΐδιος, *Poët. pro* ῥᾴδιος. 184

Φόρμιγξ, ιγγος, ἡ cithara. παρὰ τὸ φροίμιον, *per Syncop pro* προοίμιον, procemium. *praludere solitus est Apollo cithara deinde Musarum carmina subsequebantur. vel* φόρμιγξ, *quia* ἐπ' ὤμοις φέρεται. 186

Ἱστὰν, *Ionica detractione accentus pro* ἵσταν, *hoc verò Bœtica Syncope pro* ἵστασαν. *Aor.* 2. *Act Indic. modi, ab* ἵστημι. 193

Ταφὼν, miratus, stupefactus. *Vid* δ. 242.

Θαάσσω sedeo, *ut dicitur prius. idem* θακέω, *&* θακόω, θ. 439. 194

Δεικνύμενος, *Ion pro* δεχνύμενος. *à* δέχνυμαι, *idem quod* δέχομαι, amicè accipio, &c. 196

Χαῖρε, *Imperat. verbi* χαίρω. *aliquando est* salutantis, *ut hic. aliquando* valedicentis. *aliquando etiam* concludentis. 197

Τάπης, ητος, ὁ, ἡ, *videlicet* tapes, tragulum: *quasi* πάτης, ἀ πατέω, calco. *vel*, *quasi* δάπης, παρὰ τὸ δάπεδον, quòd in pavimento sternatur.

203 Κεραίρω, misceo. ἀ κεράω, *idem*.

Ζωρὸς, οῦ, ὁ, merus, non mixtus. *frequentiùs utuntur comparat.* ζωρότερος, *ut hic* ζωρὸς *autem dicitur, quasi* ζωηρὸς, vivacior potus.

206 Κρεῖον, ου, τὸ, ahenum, vas ad recondendas carnes, carnarium. ἀ κρέας, caro. *alii accipiunt pro* κρέας. *sed* κρείων, οντος, ὁ, regnator. ἀ κραίνω, perficio. *item*, regno.

Πυρὸς αὐγὴ, *exponitur ab Eustath.* locus qui ab igni ardenti illustratur, *Od.* ζ. 305.

208 Σίαλος, ου, ὁ, porcus saginatus. παρὰ τὸ ἅλις σιτεῖσθαι, quòd sit afatim & pinguiter enutritus.

Ῥάχις, εως, ἡ, spina dorsi. *vel* spina *absolutè*. ἀ ῥήσσω, frango: *sic dicta ab illâ separatione, & quasi ruptura discernente inter dextras partes & sinistras.*

Τεθαλυῖα, *Part. præt. med.* a θάλλω. *Antè.* τεθαλυῖαν ἀλοιφῇ, abundantem pinguedine.

Ἀλοιφὴ ἡ, *seu* ἄλειφαρ, ατος, τὸ, unguentum, oleum, adeps, *ut hic*, *ab* ἀλείφω, ungo, lino, illino, incito, instigo, excito.

209 Ἔχεν, *intellige*, carnes.

212 Μαραίνω, marcescere facio, marcidum reddo, extinguo. *Hymn. in Merc.* 140. ἀνθρακίην δ' ἐμάρανε. μαραίνομαι, marcesco, elanguesco, elangueo. *dicitur* πῦρ μαραίνεσθαι, *quando paulatim collabitur, & sensim extinguitur.*

213 Ἀνθρακία, ἡ, carbonum congeries, *seu* prunarum. *ab* ἄνθραξ, ὁ, ακος, carbo: *quod dicitur quasi* ἄνθαξ, flos ignis, *ab* ἄνθος, flos.

Στορέω, sterno, prosterno, humi dejicio.

Ἐφύπερθε, & θεν, desuper. *ab* ἐπὶ, & ὕπερθε· *quod ab* ὑπὲρ.

214 Πάσσω, inspergo, conspergo, superinjicio. *item*, variego.

Ἅλς, ἁλὸς, ἡ, *masc.* sal. *sed fœm.* mare.

Κεο-

Κρατευταὶ, αἱ, veruum bases & fulcra, quibus imponuntur verua, dum infixæ carnes torrentur. *ἀων*, *pro* *ὢν*, *Æol.* *ἀ κρατὸς*. *Antè.*

Ἐλεὸς, ὖ, *seu* ἐλεὸν, τὸ, mensa coquinaria. *sed* ἔλεος, ὖ, ὁ, *cum accentu in antepenult.* misericordia. 215

Σῖτος, ὁ, *particulariter pro* pane, *hic.* 216

Τράπεζα, ης, ἡ, mensa: *quasi* τετράπεζα *à* τέτταρες, quatuor, *&* πέζα, pedis planta: *quia mensa habet quatuor pedes.*

Κάνεον, *contract.* κανῦν, canistrum. *est &* κάνειον, *Odyss.* κ. 355. *à* κάννης, ητος, ὁ, *idem.* 217

Τοῖχος, ου, ὁ, paries, murus, *& general.* lateralis, *seu* latus. *à* τεῖχος, murus. *sed utrumque à* τεύχω. 219

Θυηλὰ, ἡ, aruspicium, primitiæ sacrorum, *seu* libamenta. *à* θύω, sacrifico. 220

Δείδεκτο, *Poët. & Ion. pro* ἐδέδεκτο, *propriè*, susceperat. *hic* propinavit. 224

Ἐπήρατος, amabilis, optabilis, jucundus. *ab* ἐπὶ ἦρα τὰ, grata: *quod ab* ἐράω, amo. 228

Δοιὴ, ἡ, dubium: *cum duabus menti propositis viis, nescit utram sequi debeat.* *à* δύω, duo. *pro quo Poët.* δοιὼ, *&* δοιοὶ, *idem.* 230

Αὖλις, ἡ, domicilium, locus ubi pernoctatur, tentorium, castra. *ab* αὐλὴ, ἡ, *est &* Αὐλὶς, ίδος, regiuncula Bœotiæ, quo classis Græcorum appulit Trojanis bellum inferens, β. 303. 232

Τηλεκλειτὸς. *Vid.* ε. 491. 233

Πεσέεσθαι, *Ion. pro* πεσεῖσθαι, *à* πίπτω, *hic* incido, invado, irrumpo, irruo. 235

Ἐνδέξιος, qui est ad dextram, prosper, faustus. *à* δεξιὰ, dextra. 236

Κόρυμβος, ου, ὁ, *&* κόρυμβον, τὸ, vertex, cacumen, *præcipuè* montium. *hic* κόρυμβα, rostra, extremæ navium partes. *secundùm Eusth.* *fit à* κάρα, τὸ, caput. *item*, vertex. 241

Μαλερὸς, ὁ, *ignis epitheton est. exponitur*, ustivus, fervidus, lucidus, perniciosus. μαλὸς, tener, albus. 242

246 Φθίαται· pro φθίεαται. *Vide* φθίμενος, θ. 359.

249 Μῆχος, εος, τὸ, artificium, commentum, facultas, possibilitas, consilium. *à* μηχανὴ *idem.*

250 Ῥεχθέντος, *à* ῥέζω.

Ἄκος, εος, τὸ, remedium, medela. *ab* ἀκέομαι, medeor, *tum propriè, tum Metaph.* ἀκεῖσθαι *autem est* ἄχος ἰᾶσθαι.

256 Φιλοφροσύνη, comitas, benignitas. *item*, amicitia, familiaritas. *à* φίλος, & φρὴν.

300 Κηρόθι, ex animo, ex corde. *à* κέαρ, τὸ, cor. *contract.* κῆρ.

309 Ἀπείπω interdico, prohibeo recuso, refero, præcisè dico. *Poët.* ἀποείπω.

Ἀπηλεγής, ὁ, ἡ, atrox, sævus, *quasi* nullius curam *aut* respectum gerens. *hinc* ἀπηλεγέως, atrociter, sævè. *sed sæpè pro* apertè, intrepidè: *quia, quos nullius cura aut respectus movent, illi non trepidant ab* ἀλέγω, curo.

310 Ἧπερ, quemadmodum.

311 Τρύζω; *idem quod* τρίζω, murmuro, susurro, *vox per Onomatop. sed propriè*, turturis. *hinc* turtur *dicitur* τρυγὼν, ἡ.

319 Ἰὸς, idem, *hìc.*

320 Κάτθαν', *pro* κατέθανε, *Æolica Syncop. Aor. 2. verbi* θνήσκω, *Antè.*

321 Περίκειται, *hìc* reliquum est, superest, & *velut* κειμήλιον, repositum jacet.

323 Ἀπτὴν, ὁ, ἡ, implumis. volare non potens. *ab* α *privat.* & ἵπταμαι, volo, volas. *in Dativo sing.* ἀπτῆνι, *inde* ἀπτῆσι.

324 Μάσταξ, ακος, ἡ esca, *ut hìc.* & os, oris labrum superius. *à* μασάομαι, mando, comedo, voro. *sed* μάσσω, pinso.

325 Ἄϋπνος, insomnis. *quasi* ἄνευ ὕπνου. *ab* α *privat.* & ὕπνος, ὁ, somnus.

Ἰαύω, commoror, tempus tero, dormio. *ab* ἴον, solum,

326 Διαπρήσσω, pertranseo, percurro, α. 483. *à* περάω, transeo. *Fut.* περάσω. *inde per Syncop.* πρήσσω. eo per.

331 Δόσκον, δόσκες, δόσκε, *Poët. pro* ἐδίδουν, ἐδίδους, ἐδίδου.

Δασάσκετο, *ab inusit.* δάζω, *idem quod* δαίω, divido. *Aorist, 1.*

rist. 1. *med.* ἐδαπάμην, αἶ, & *Poët.* δαπάσκετο. *hinc* δάπαζ, σ. 511. δ᾽ πάμεθα, *Odyss.* ξ. 335. *pro* ἐδαπάμην, *est* δασσάμενοι, *Od.* γ. 66. & *Od.* ι. 42.

Θυμαρὴς, έος, ὁ, ἡ, animo conveniens, gratus. ἀ θυμὸς, ὁ, & ἄρω, apto *est* & θυμηρὴς, *Hymn. in Terram.* 18. 336

Ε᾽χέφρων, ὁ, ἡ, prudens. ἀ φρὴν, animus, ὁ ἔχων φρένα. 341

Δουρίκτητος, ὁ, ἡ, *pro* δορύκτητος, quem hasta acquisitum, *vel* bello captum quis possidet. ἀ δόρυ, & κτάομαι. 343

Ι᾽ρὸς, ὁ, *Ion pro* ἱερὸς facer; *ut* ἰρεὺς, *pro* ἱερεὺς, ε. 10. 357

Η᾽ρι, mane, *ab* ἦς, ἦρος, τὸ, ver. *item* tempus matutinum: *quòd tempus matutinum similitudinem quandam habeat cum verno. vel potest* ἦρ *in hac significatione derivari ab* αἴρω, *quod diluculum homines ad consuetas operas excitet.* 360

Εὐπλοΐα, Ion εὐπλοΐη, secunda navigatio, tranquillitas maris: *quasi diceret*, navigationis facilitas. ἀ πλέω, navigo. 362

Ε᾽ρυθρὸς, ὁ, ruber. *ab* ἔρευθος, εος, τὸ, (*amisso* ε, & *assumpto* ρ) rubor *propriè* eorum, qui erubescunt. 365

Πολιὸς, ὁ, canus, albus, candidus, splendidus, *ut hic.* 366

Ε᾽φυβρίζω contumelia afficio, adversus aliquem injurius sum. *ab* ἐπὶ. & ὑβρίζω *idem. ab* ὕβρις, injuria. 368

Α᾽πείφω, & ἀπαφῶ, & ἀπαφίσκω, *Od.* λ. 216. fallo, decipio, *Poët. idem quod* ἀπατάω. *Eustath. vult* ἀπάφεσθαι *propriè esse* δι᾽ ἀφῆς ἀπατᾶσθαι, sensu decipi. ἐξαπαφάω *idem.* 376

Κὰρ *pro* κάρη, caput. *sed hic accipitur pro* mancipio, *seu* homini nauci & nihili, *qualis Carum gens, quæ aliis se mancipabat.* 378

Ι᾽σῃ, *hic*, vice, loco.

Δεκάκις, decies. ἀ δέκα, decem. 379

Νέισομαι. & νίσσομαι, eo, venio. ἀ νέω *idem. hinc* ποτινίσσομαι, *Dor. pro* πρὸς, *ut dicitur.* 381

Οἰχνεῦσι. *Dor. pro* οἰχνέουσι. *ab* οἰχνέω, *ab* οἴχομαι *idem*, vado, abeo. 384

Ε᾽πέοικα, videor, convenio. *ut hic, ab* ἔοικα. *Antè.*

Δὴ *hic*, *est particula expletiva, interdum significat* quidem, *est etiam* θὶν, *idem quod* θὶς, acervus, cumulus. 392

396 Ῥύω, traho: *item*, custodio, tueor, *ut hic.*

399 Γήμας, *Part, Aor. 1. verbi* γαμέω. *Antè, quasi ex* γάμω.

402 Ἐκτῆσθαι, *Ion vel Attic. secundùm quosdam, pro* κεκτῆσθαι. *sic* ἔκτημαι, *pro* κέκτημαι. *à* κτάομαι, *Antè.*

403 Τὸ πρὶν, priùs anteà. *articulus aliquando ante Adverbia redundat; aut* τὸ *ad substantivum antecedens* πτολίεθρον, *referendum est.* πρὶν *autem posterius significat* quàm, *quod semper ita est cum* πρὶν *geminatur.*

404 Λάϊνος, ὁ, lapideus, *à* λᾶς, ὁ, lapis.

Ἀφήτωρ, ὁ, emissor. *sic dicebatur Apollo, ab edendis oraculis, ὁμοίως πᾶσι προφητεύων. item,* jaculator. *ab* ἀφίημι, dimitto. *item,* emitto.

406 Ληϊστὸς, bello captus, prædativus, qui prædando capi aut comparari potest, parabilis, *ut hic.* *à* ληΐη, *Ionicè pro* λεία, præda. *idem* λεϊστὸς, *ut vers.* 408.

407 Κτητὸς, ὁ, acquisibilis, qui acquiri potest. *à* κτάομαι. *Antè.*

409 Ἑλετὸς, ὁ, qui capi potest. *ab* αἱρέω, εἷλον.

Ἀμείβω, *hic,* transeo.

411 Διχθάδιος, duplex, geminus. *idem quod* δισσὸς, *&* *Atticè* διττὸς. *à* διχθὰ, dupliciter, *Poëtica vox, à* δὶς, *per Syncop. pro* δυάκις. *à* δύω.

415 Δηρὸς, diuturnus, diutinus, longævus. δηναιὸς *idem, à* δὴν, diu. ἐπὶ δηρὸν, *subintellige* χρόνον, in diuturnum tempus.

417 Παραμυθέομαι, consolor, do consilium, hortor, &c. μυθέομαι, dico; *quod à* μῦθος.

420 Ὑπερέχω, teneo super, *Metaph.* ὑπερέχω χεῖρα τινὸς, defendo, protego.

426 Ἀπομηνίω, iram depono, *vel* valdè irascor. *ab* ἀπὸ, *aliquando augente, aliquando negante: ut* δ. 772. *&* μηνίω, irascor; *quod à* μῆνις, ira.

433 Ἀναπρήθω, incendo, uro: *item,* efflo. *hinc* δάκρυα ἀναπρήσας, lachrymas magna copia effundens, & cum suspiriis & anhelitu.

443 Ῥητὴρ, ηρος, ὁ, Rhetor, Orator, Elocutor. *à* ῥέω, dico, loquor.

Πρηκτὴρ, ὁ, actor. *Ion. pro* πρακτὴρ. *à* πρήσσω. *Ionicè pro* πράσσω, *vel* πράττω, facio, ago.

Ἀπο-

Ἀποξύω, abrado, derado, & *generaliter*, detraho, *quasi abradendo, ut hic. à ξύω. Antè.* 445

Παλλακὶς, ἡ, & παλλακὴ, puella juvencula, concubina, *ut hic. à παλλὰξ, ὁ,* juvenis, *à πάλλω,* vibro: *quia juvenilis ætas viribus ad vibrandum polleat.* 449

Ἐχθαίρω, pro inimico habeo, odio habeo. *ab ἔχθος.* 452

Ὀΐσθεὶς, *Aor.* 1. *ab οἴομαι, Poëtico verbo. aliquando significat,* suspicor, *ut hic, & etiam antè.* 453

Καταράομαι, imprecor. *ab ἀρὰ, ἡ.* preces.

Ἐρινὺς, ἡ, Erinnys furia, dea infernalis, & peccatorum ultrix. *aliquando ἐρινὺς dicitur,* qui injuriam alicui illatam persequitur, *Od.* ρ. 475, *aliquando etiam,* qui fecit, *Odyss.* λ. 279. *hinc ἐρινύειν,* indignari. 454

Ἐφέσσεσθαι *Poët. pro ἐφέσεσθαι,* insidere, collocare, *Futur.* 1. *Infin. ab ἐφέζω, quod componitur ab ἐπὶ, & ἕζω. Antè. hinc ἐφεῖσαι, Odyss.* ν. 274. & *ἐφεσσάμενος, Odyss.* π. 443. 455

Ἐπαρὰ, ἡ. imprecatio. *ab ἀρὰ. Antè.* 456

Καταχθόνιος, ὁ, ἡ, subterraneus, infernus. *à κατὰ & χθὼν, ἡ,* terra. 457

Περσεφόνη, *seu* περσεφόνεια, quæ cædibus omnia vastat: *sic dicitur Proserpina. dicitur etiam περσέφασσα, ἡ. à πέρθω, & φένω. vel, quasi φερσεφόνη, id est, φέρουσα φόνον.*

Ἔπαινος, ὁ, laus, *sed ἐπαινὴ, aliquando* dura, terribilis, *ut hic. ab αἰνὸς,* gravis, *epithet. Proserpinæ.*

Στρωφάω, *idem quod* στροφάω, versor, circumago. *à* στροφὴ, versio, flexus, conversio. *à* στρέφω. 459

Θαλέθω, *idem quod θάλλω, antè, α.* 235. 462

Ἑλικὸς, volubilis, tortilis: *item,* niger. *ἕλικες, id est, μέλαιναι, ἢ ἑλικοειδῆ κέρατα ἔχουσαι, ἢ ἐν ἕλει τεθραμμέναι, ἤτοι ἀπὸ τῆς κινήσεως τῶν ποδῶν, καθ' ὃ εἰλίποδες λέγονται, Didym.* nigri boves, vel inflexa cornua habentes, vel in paludibus enutriti, vel flexis pedibus, *ut hic. ab εἴλιξ, & ἕλιξ, ἡ,* volumen. *est & ἕλιξ,* niger, *idem quod ἑλικὸς, ut ἕλικος βοὸς, ο.* 633. *cujus (si accentus sit in antepenultima) hoc ἕλικας est Accus. plur. est & ἕλιξ,* armillæ, *σ.* 401. *hinc εἰλίσσω, & ἐλελίζω, quæ omnia ab εἰλέω,* verto, volvo, circumago.

Εὔω,

464 Εὔω. *seu* εὔω, *ut hic*, uro, uſtulo, *videlicet* admota flammâ aſſo.

Ἥφαιστος, pro igne, *ut hic. Vid.* ς. 101.

466 Εἰνάνυχες, per novem noctes: *Adverb. pro* ἐννεάνυχες. *ab* ἐννέα, & νύξ.

467 Ἔσβη, *Aor.* 2. *à* σβέννυμι, extinguo.

468 Εὐερκὴς, έος, ὁ & ἡ, bene munitus. *ab* ἕρκος, τὸ, ſeptum; *quod ab* εἴργω, includo.

469 Πρόδρομος, ου, ὁ, præcurſor, *à* πρὸ, & τρέχω. *at* πρόδομος, ου, ὁ, veſtibulum, anterior domus pars. *Euſtath. vult eſſe* Interiorem domus partem. *vult eſſe idem cum* αἴθουσα, *Od.* δ. 302. *ſed ſecundùm Didym.* θάλαμος ὁ ἔσω οἶκος τῆς αὐλῆς· τὸ δὲ πρὸ τῆς αὐτοῦ πρόδομος· αἴθουσα δὲ περίστυλος, τοῦτ' ἐστὶ πρὸς ἥλιον τετραμμένη στοὰ, παρὰ τὸ αἴθεσθαι. *à* δόμος, ὁ, domus; *quod à* δέμω, extruo, ædifico.

480 Ἐσχατίη, extremitas rei cujuſlibet. *ab* ἔσχατος, ultimus, poſtremus *ab* ἔχω, *unde* χὼ teneo, contineo: *quia conſiſtimus in eo quod ultimum eſt*: & *id nos veluti cohibet.*

483 Πάσασθαι, *Aor.* 1. *med. Infin. ab inuſitat.* πάω edo, guſto. *hinc* πασσάμενος, *metri gratia, Od.* α 124. *cum Genit.* δείπνου πασσάμενος.

Ὄψον, τὸ, quicquid cum pane comedimus, epulæ, *vel ab* ὀπτᾶσθαι, aſſo. *vel quaſi* ἕψον, παρὰ τὸ ἕψειν, coquo, elixo. *ſed ſecundum Euſtath.* παρὰ τὸ ὀψὲ, *id eſt* ſero: *quod veſperi tantùm ejuſmodi cibis veſcerentur. vel, quòd ſerò tandem voluptatis gratia in uſum venerit, quum antiquitùs frugaliter viverem.*

485 Ἐπέχω, cohibeo, reprimo, contineo: *hic verò* do, præbeo.

486 Καταδεύω, madefacio, rigo. *à* δεύω *idem.*

487 Βλύζω, ſcaturio, mano, effundo & emitto abundanter. *hinc* ἀποβλύζω, *idem. item*, evomo per vomitum effundo. *ut hic* βλύζω *autem dictum eſt à murmure*, & *ſono ſcaturientium aquarum.*

488 Πάσχω, patior, *Fut* 1. πείσομαι. *Ind.* 2. ἔπαθον, &c.

491 Ποιούμην, *pro* ποιούμην, *Doricè.*

Στρεπτὸς,

Στρεπτὸς, ὁ, flexibilis, exorabilis. *per consequens, ἀ στρέφω,* 493
verto, flecto.

Παρατρωπάω, diverto, deflecto, ab instituta via averto. ἀ 496
παρὰ, & τρωπάω *quod est* τρέπω verto.

Ὑπέρβη, *Attic. pro* ὑπερβῆ *ab* ἔβην *Aor. 2.* βαίνω, *quasi ἀ* 497
βῆμι. *verba 2. conjugat. verb. in* μι, *in Sub. Aor. 2 pro*
ῶ, ῇς, ῇ: *Ionicè faciunt* έω, έῃς, έῃ *pro quo Poët.* είω, είῃς,
είῃ, *& rursus vertunt hoc* ει *in* η, *ut sit* ἤω, ἤῃς, ἤῃ.

Λιταὶ αἱ, preces. *item*, deæ præsides supplicationum, *seu* 498
supplicum, precum. *ἀ* λίσσομαι.

Ῥυσὸς, & ῥικνὸς, ὁ, rugosus. *ἀ* ῥυτὶς, ἴδος, ἡ, ruga. 499

Παραβλὼψ, ὁ, ἡ, strabus. *a* παραβλέπω, oculis obliquis
aspicio, *videlicet* more straborum

Ἄτη, nox, damnum, clades. *item*, illa dea quæ damna & 500
infortunia hominibus immittit. *ut hic.*

Σθεναρὸς, ὁ, robustus *ἀ* σθένος, τὸ, robur.

Ἀρτίπους, qui integris pedibus est. *ab* ἄρτιος, integer, 501
æqualis, aptus, & πούς *ita dicitur Noxa, quòd mundum totum pervagetur hominibus nocitura, ut sequitur.*

Ὑπεκπροθέω, longè præcurro *Ab* ὑπὸ, ἐξ, πρὸ, & θέω. 502

Στερεῶς, solide firmiter, constanter. *ἀ* στερεὸς, solidus, in- 506
teger. perfectus, *vel* solidus, *id est*, rigidus, durus, *ut
hic. ab* ἱστάναι, *quòd solida stent, & durent.*

Ἐπιζαφελῶς, vehementer. *ab* ἐπιζάφελος, vehemens, ar- 512
dens. *ἀ* ζαφελὴς, έος, valdè durus, agrestis iracundus.
vel, valdè auctus, vehemens. *dicitur ἀ* ζα, & ὀφέλλω,
τὸ αὔξω.

Ἐλέγχω, *hic*, aspernor. 518

Δωρητὸς, ὁ, muneribus placabilis, *seu* corruptus. *ἀ* δῶρον, 522
τὸ, donum.

Παραῤῥητος, qui verbis flecti potest, adhortatorius, monitorius. *ἀ* παρὰ, & ῥέω, dico, *ut hic, est &* παραῤῥητὸς,
adhortatorius, monitorius, *v.* 726.

Μενεχάρμης *seu* μενος, gaudens *seu* promptus in bello. *ἀ* 527
χαίρω qui bellicos labores intacto sustinet animo, &
μένος, τὸ. *vel* μένων ἐν τῇ χάρμῃ, permanens in pugna.
Vid. θ. 222.

Ἐρανός, amabilis, jucundus. *ab* ἐράω, amo. ἔρανος, *Odyss.* α 226. *est τὸ ἐκ συμβολῆς γινόμενον δεῖπνον*, cœna collatitia ex convivarum ſymbolis.

530 Θαλύσια, τὰ, primitiæ frugum, *vel*, quæ poſt fruges collectas diis offeruntur, maximè Cereri, *quòd eorum beneficio omnia viruiſſent. à* θάλλω.

Γȣνὸς, *Ion. pro* γονὸς, *idem quod* γόνιμος, fœcundus, fertilis, uber. *est etiam ſubſtant. pro* fœcundo, *vel* fertili ſolo. *apud Homer.* γόνος *autem antè. ambo à* γείνομαι.

Ἀλωὰ, *&* ἀλωὴ, *antè: hic verò* campus frumentarius; *aut ſecundum quoſdam* ſata, *ſeu* ſegetes.

535 Χλȣ́νης, ὁ, *per contractionem factum, ex* χλοεύνης, *ut ſit is* qui in virenti gramine cubat, *ideóque* ferus, agreſtis. χλόα, *&* *Ion.* χλοίη, herba virens, gramen, *&* εὐνὴ, lectum.

Ἀργιόδȣς, albos dentes habens, *ex* ἄργος, albus, *&* ὀδȣ̀ς, dens, *aut* magnos dentes habens. *ex* ἄγαν, valdè, *pleonaſmo* τȣ̃ γ.

537 Προθέλυμνος, qui radicitùs & funditùs extirpatur. *à* πρὸ, *&* θέλυμνον, τὸ, fundamentum. *à* θέμηλον *idem.* προθέλυμνος *autem habet & aliam ſignificationem: ut*, ν. 130. σάκος σάκει προθελύμνῳ, clypeos clypeis denſis. *eſt enim* προθέλυμνος *aliquando idem quod* ἐπ' ἀλλήλȣς, *& ut quibuſdam placet, in hoc loco eſt in hac ſignificatione intelligendum: ut* θέλυμνα δένδρεα *ſit* τὰ ἐπαλλήλως ἔχοντα τȣ̀ς κλάδȣς, arbores confertis denſique ramis.

538 Ῥίζα, ἡ, radix: *quaſi* ῥείζα, *à* ῥέω, fluo; *quia radices undique diffunduntur. vel, quòd per radices, vita plantis influat*, Coul.

Ἄνθος, τὸ, flos. *ab* ἄνω θέειν, quod ſurſum aſcendat: *per Metaph. quodcunque excellit, dicitur* ἄνθος, *ut Iliad.* ν. 484. ἥβης ἄνθος, flos juventæ.

Μῆλον, τὸ, malum, pomum. *à* μηλέα, quædam ſpecies arboris, *videlicet* arbor pomaria. *& ut* pomum *apud Latinos, ſic* μῆλα *apud Græcos, omnia fructuum genera ſignificat, ut hic.* μῆλον *eſt etiam* ovis, *ut antè. à* μῆλον, malum, *eſt* μήλωψ, pomacei coloris, *Od.* η. 104.

Or-

Οἰδαίνω. *seu* οἰδάνω, tumefacio. *à quo* οἰδάνομαι, tumefio, *vers.* 642. *hujus libri ab* οἰδέω, *Od.* ε. 455 *seu* οἰδάω, tumeo, inflatus sum; *quod ab* οἶ, *&* δέω, *inquit Martin.* *vel ab* οἶδα, novi: *quia tumida sunt depressis noscibiliora, sive magis conspicua, Harm* 550

Καλλίσφυρος, ὁ, ἡ, pulchra habens calcanea. *à* σφυρὸν, τὸ, planta pedis; *quod deducitur a* σφύρα, malleolus, *ob mallei similitudinem.* 553

Ἐπώνυμος, *quasi diceret*, supernominis, addititius ad nomen, agnomen, cognomen, *item*, nomen impositum alicui, ob convenientiam quandam rei quæ in persona est, & nominis. *item*, denominatus, qui nomen traxit. *ab* ὄνομα, nomen. 558

Πολυπενθὴς, multum lugens, miser, luctu plenus. *à* πολὺς, *&* πένθος, luctus. 559

Παρακαταλέγομαι, adcubo. *à* λέγομαι, cubo. παρκατέλεκτο, *pro* παρακατελέλεκτο, *per Syncop. adjecto etiam augmento. Plusq. perf. pass.* 561

Πολύφορβος, multum pabulum, *seu* escam præbens. *à* φορβὴ, pabulum, *&* generale alimentum. *à* φέρβω, pasco, nutrio, alo: *dictum putatur, quasi* φέρω βίον. 564

Πρόχνυ, *Adverb.* in genua. *existimatur dictum per Syncop.* *pro* πρόχονυ, *&* *hoc, pro* πρόγονυ; χ *pro* γ, *à* γόνυ, τὸ, genu. *est & aliquando*, funditùs, radicitus, φ. 460. 566

Ἠεροφοῖτις, quæ in tenebris vagatur. *ab* ἠερόφοιτος, *quod ab* ἠὴρ, *&* φοιτάω. *Antè.* 567

Ἐρεβόσφιν, ex erebo, *vel* ex tenebris, *addito* φιν *Genitivo nominis* ἔρεβος, εος, τὸ, erebus, orcus, *seu* caligo orci; *quod ab* ἔρα, terra. *hinc* ἐρεμνὸς, *pro* ἐρεβεννὸς *idem*, tenebrosus. 568

Πεντηκοντόγυος, qui quinquaginta jugerum est. *à* πεντήκοντα, quinquaginta, *&* γύα, *sive* γύα, arvum. *item*, arvi spatium, *seu* jugerum. 575

Ψιλὸς, tenuis, *ut Od.* μ. 431. *significat* glaber, nudus. *ubi observandum aliquid sæpè dici* ψιλὸν, *omisso Genitivo ejus rei quæ desideratur: ut,* δέρμα ψιλὸν, *Odyss.* ν. 437. *scilicet*, τριχῶν. *&* *hic* ἄροσις ψιλὴ, *sive* γῆ ψιλὴ, *scilicet*, βοτάνης, terra nuda & non consita. *dicitur autem* 576

ψιλὸς

ψιλὸς παρὰ τὸ ψῶ, extenuo, *cujus omnia ἀπέψισαι*, attenuata, expilata sunt. *vel*, παρὰ τὸ ψῶ, tango. δυσχερῶς γὰρ ἅπτεταί τις τῦ ψιλῦ, tenuia enim ad manum contrectantur.

Α'ροσις, ἡ, aratio, *aliquando* ager frumentarius. *ab* ἀρόω, aro.

577 *Αιτανεύω, idem cum λίσσομαι, à quo fit: idem λίτομαι.*

578 Οὐδὸς, *oxyton.* ῦ, ὁ, limen. ὖδος, τὸ, *properisp.* & ὖδας *antè, Vid.* ε. 734.

579 Σανὶς, ίδος, ἡ, tabula, asser. *apud Homer. sæpè σανίδες sunt* valvæ.

Γνόομαι, ῦμαι, genua amplectens oro, suppliciter oro, *à* γόνυ, *à* γῦνος, *pro* γόνυος, *Genit.* γόνυ. *est* & γουνάζομαι *idem.* α. 427.

582 Κεδνὸς, ῦ, dignus cujus cura geratur. *item*, in pretio habendus ob virtutem aliquam. *item*, venerandus. *etiam*, prudens, honestus. *à* κῆδος, εος, τὸ, cura.

588 Α'λώη, *Atticè pro ἁλοίη*, captus sit, *vel*, caperetur; *quod est Aor.* 2. *Activi optat. mod. à themate* ἅλωμι. *Aor.* 2. *significat passivè.*

589 Α'μαθύνω, perdo, destruo, in cineres, *vel* arenam redigere. *ab* ἄμαθος, arena, sabulum: hoc autem ab ἄμμος *idem. Antè.*

590 Βαθύζωνος, altè, *seu* profundè succinctus. *quidam hoc epitheton barbaricum mulierum esse voluerunt: sed in genere*, formosus, pulcher, *ut hic. à* βαθὺς, ὁ, profundus, & ζώνη, zona, cingulum.

603 *Vide ἄπτα. vel ἄοσα,* α. 553.

605 Α'ϋτμὴ, halitus, spiritus, vapor, fumus. *unde Od.* π. 290. πυρὸς ἀϋτμή. *idem* ἀϋτμὴν, ενος, ὁ. *ab* ἄω, spiro.

608 Συγχέω, confundo, confundendo misceo, *igitur* destruo, *Od.* ο. 364. conturbo, turbo, *ut hic. item*, enervo, dejicio, *seu* prosterno. *Od.* ο. 472.

622 Κρανέεσθαι, *Dialysi Ionica, pro* κρανεῖσθαι, absolutum iri. *Fut.* 1. *vel* 2. *Infin. med. à* κραίνω. *Fut.* κρανῶ. *med.* κρανῦμαι. *Antè. fit quasi* καραίνω, *à* κάρα. *aliquando etiam significat*, regno, impero. κραιαίνω, effectum reddo, *per pleonas.* τῦ αι.

Ποινὴ

Ποινὴ, pœna: *item*, merces præmium, pretium, quo injuria pensatur, *ut hic.* 629
Ἀ'ποτίω, punio, pœnas luo, exolvo. *ἀ τίω*, honoro, punio, ulciscor, persolvo, solvo, *ut hic.* 630
Υ'πωρόφιος, qui sub tecto *seu* camera est, domesticus. *ab* ὑπὸ, *&* ὀροφὴ, contignatio, qualis est tectorum: *quod ab* ἐρέφω tego, tectum impono. 636
Μέμαμεν, *vide* μέματον. *Antè* θ 413. 637
Ἀ'συφηλος, vilis, abjectus, nullius pretii, stolidus *ἀ* ἄτω noceo, *&* φῆλος, ου, ὁ, impostor, fallax *exponunt quidam* insipiens, stolidus, *adeò ut etiam derivari possit à* σοφὸς. 643
Μετανάστης, ου, ὁ, μετανάστιος, qui sedibus suis relictis, aliò habitatum se contulit. *exponitur* pulsus patria, exul, peregrinus, inquilinus, *ut hic. à* μετὰ *&* ναίω. 644
Σμύχω, attero, absumo. *item*, exuro, incendo, igni vasto, *ut hic. hinc* κατασμύχω. 649
Γῆ μῆ *per Synæresin, pro* τῇ ἐμῇ. 650
Κῶας, οος, τὸ, pellis ovina, ovinum vellus. *dicitur per pleonasm ut &* κῶας, *Od.* τ. 58. *pro* κῶς *idem: quod dicitur* παρὰ τὸ ἐπ' αὐτοῦ κοιμᾶσθαι. 657
Ῥῆγος, εος, τὸ, culcitra. *à* ῥήγνυμι.
Λεπτὸς, οῦ, ὁ, tenuis, exiguus, parvus, instar corticum & squamularum quæ alicunde avelluntur. *à* λέπω, decortico. *hinc* λεπταλέος *idem*, σ. 571.
Ἄωτον, τὸ, flos, *ex* ἄω, *idem cum* πνέω. *est* flos *seu* præstantissimum cujuslibet rei. *est &* ἄωτος, ὁ, auribus carens. *ab* α *privat. &* οὖας, ατος, τὸ, auris.
Ἀνστάδην, surgendo, more eorum qui surgunt. *ab* ἀνίστημι. 667
Πολύαινος, multum laudatus, laudatissimus. *ab* αἶνη, laus. 669
Πολύτλας, ὁ, ἡ, multa passus, nobilis, *per consequens: à* πολὺς, *&* τλάω, tolero. 672
Ἐνίημι, immitto, infundo, insero. 696
Τεταρπόμενος, *Ion. & Poët. anadiplasiasmo, pro* ταρπόμενος, *Aor. 2. med. à* τέρπω, delecto. 701

CLAVIS HOMERICA

In K. Iliadis.

1 Ἀριστῆες, *Ion. pro* ἀριστεῖς. *ab* ἀριστεὺς, ὁ. ἀριστῆες *apud Hom dicitur pro* optimatibus, *&* proceribus, *&* iis qui principem in civitate locum tenent; *sicut & apud Latinos* Optimates: *quia, qui cæteris honore præstant, excellere præ omnibus virtute debent.* ἀριστεὺς *aliquando, Adjectivè*: præstantissimus, *ut* ἀριστῆα πρόμον, γ. 44. optimum propugnatorem. *ab* ἄριστος, optimus Marte. *παρὰ τὸ* Ἄρης, Mars.

2 Δεδμημένος, domitus. *à* δμάω *pro* δαμάω, domo. *est &* δεδμημένος, ædificaturus *Vid* ζ. 245.

4 Γλυκερὸς, ὁ, *à* γλυκὺς, ὁ, *idem.* *παρὰ τὸ* γλεῦκος, mustum, succus dulcis.

6 Χάλαζα, ἡ, grando. *dicitur quasi* ἐκ τῶ ἄνω πρὸς τὰ κάτω χαλωμένη, ex aëre in terram demissa.

7 Νιφετὸς, ȣ, ὁ, *&* νιφὰς, ἡ, nix. *à* νίφω, ningo.

Χιὼν, όνος, ἡ. nix: *quasi* χεὼν. *à* χέω, fundo.

Παλύνω, *Ion. pro* ἐπιπάσσω, inspergo. *exponitur*, misceo humecto, albefacio. *propriè, de* farina, *dicitur*, *ut Od* κ. 520, *aliquando de* nive, *ut hic. à* πάλη, lucta. *item* tenuissima farina. flos farinæ. παιπάλη *idem.*

8 Πευκεδανὸς, ὁ, amarus. *à* πεύκη, amaritudo. πευκεδανοῖ πτολέμοιο, amari belli. *Homerus* (*ait Etym.*) bellun piceum *vocat*, *à picea, quæ facilè comburitur. frequentissimè autem bellum cum igne comparat; quòd pugnantium sanguis incalescat. vel*, bellum amarum *quia picea est amara.*

9 Ἀναστεναχίζω, vehementer suspiro, graviter ingemisco. στεναχίζω, *idem quod* στένω.

10 Νειόθεν, ex imo, *pro* νειατόθεν, *per Syncop. à* νείατος, *pro* νεώτατος, infimus, *Superl.* τῶ νέιος, novellus, recens, *Ion pro* νέος.

Συνεχὶ

Σύριγξ, ιγγος, ὁ, fistula, *propriè*, pastoria. ἀ συρίσσω, 13
seu ἰττω, *Attic. vel* συρίζω, sibilo, sibilum, edo, fistula cano.

Ἀλεξίκακος, depulsor mali *seu* malorum, remedium ma- 20
lorum; *nam tam de rebus, quam personis dicitur. ab* ἀλέξω, arceo, & κακὸς, malus.

Δαφοινὸς, *hic* rufus, rubens maculis rubris. *Vid.* ς. 308. 23
est & δαφάνεος, cruentus. σ. 538.

Ἕσσατο, *pro* ἕσατο, *Aor.* 1. *med. verbi* ἕννυμι, *sive* ἕω. *est* & ἕεστο, *Plusq. perf. pass. pro* εἶτο, μ. 464. *ab eodem.*

Αἴθων, ardens: *antè*, ς. 839. *hic* fulvus. 24

Ποδηνεκὴς, usque ad pedes dependens. *ab* ἠνεκὴς, έος, porrectus in longitudinem, *interdum* perpetuus, continuus. ποδηνεκὲς δέρμα λέοντος, pellis leonis ad talos usque demissa, quam gestabat Agamemnon Heroum more.

Βλέφαρον, τὸ, pellis oculis obducta, & illos tegens, pal- 26
pebra. *dicitur quasi* τοῦ βλέποντος φάρος, peplum oculi intuentis, *vel*, παρὰ τὸ ἐν τῷ βλέπειν αἴρεσθαι, quòd attollamus palpebras cum cernimus & intuemur.

Ἱζάνω, *tempora sumit ab* ἱζέω *idem*, sedere facio, sedeo: *quod ab* ἵζω, sedere facio, sedeo. ἐφιζάνω, insideo. *aliquando* instituo, *ut* ψ. 258. ἵζανεν εὐρὺν ἀγῶνα, certamen latum instituit.

Ὑγρὰ, *seu* ὑγρὴ, *Ion. interdum, ut hic, sumitur substantivè* 29
pro ὑγρὰ κέλευθος, mare, pelagus. *ab* ὑγρὸς, ὁ, humidus. & *Metaph.* mollis, tener. *ab* ὕω, pluo.

Στεφάνη, galea *sæpè*, *seu* quicquid coronæ more cingit 30
caput.

Ἐπίσκοπος, inspector, explorator, speculator. ἀ σκο- 32
πὸς *idem. hoc autem* ἀ σκέπτομαι, circumspicio, dispicio, *hinc etiam* σκοπιάζω, speculor, ex specula observo.

Θρασυκάρδιος, audax. ἀ θρασὺς, & καρδία. *Antè.* 41

Κερδαλέος, *hic*, astutus, vafer, callidus, prudens. ἀ κέρδος, 44
lucrum; *aliquando* astutia.

46 Ἱερὸν, τὸ, *Substantivè*, sacrificium, victima. *ab* ἱερὸς, sacer. *Antè.*

52 Δολιχὸν, *Adverb.* diu; longo tempore. *à* δολιχὸς, longus. δολιχὸς *enim dicitur tam de* longitudine temporis, *quam* extensionis.

55 Ἀνστήμεναι, *pro* ἀναστῆναι, *Atticè & Dor. Aor.* 2. *Infin.*

56 Ἀβροτάζω, aberro in via, *aut* in nocte evagor. *ab* ἀβρότη, nox: *quòd aliquando per se ponitur, vel cum nomine* νὺξ *jungitur. fit a* βροτὸς, mortalis, *præfixo* α *privat. quod noctu lateant mortales.*

67 Φθέγγομαι, loquor, vocem edo, clamo, *ut hic.*

Ἐγρήγορθαι, erigi, *pro* ἐγρηγορέναι, *pleonasm. τοῦ* θ *& Syncop. litterarum* ε *&* ν *est perfectum Infinitivi medii cujus Indicat.* ἐγρήγορα. *ab act.* ἐγρηγορέω, vigilo. *Eustath. formari dicit ab* ἐγείρω, *cujus præt* ἤγερκα, *med.* ἤγορα, *& Atticè* ἐγήγορα, *& cum pleonasm litteræ* ρ, ἐγρήγορα. *unde novum thema* ἐγρηγορέω. *cujus præt* ἐγρηγόρηκα, *pr* ἐγρηγόρηκα. *hinc pass.* ἐγρηγόρημαι, *pro* ἐγρηγόρημαι, *cuju Infin* ἐγρηγορῆσθαι. *Æol* ἐγρήγορθαι *Infinitivi enim qu habent* ορ *ante finalem* θαι *Æolici sunt, & Æolico mor fiunt proparoxyt Vid.* ἐγρηγόρθε, *Il.* η.371.

Ἄνωχθι. *Imper. pro* ἀνώγηθι *per Syncop. ab* ἀνώγημι, jubeo γ *etiam in* χ *mutato propter* θ *sequens: ut* νύχθ' ὅλην *pro* νύκτα ὅλην. *sic* κέκραχθι, *pro* κεκράγηθι, *aut* ἄνωχθι *pro* ἄνωγε. *Poetæ enim etiam gravitonos Imperativo aliquando terminant in* θι. *hinc* ἀνώχθω, λ. 189. *&* ἀνώχθε *Od.* χ. 437.

69 Μεγαλίζω, magnificè effero, extollo. μεγαλίζομαι, superbio. *à* μέγας.

71 Ἵει, *pro* ἵεις *hoc autem pro* ἵης. *ab* ἵην, *Imperf. verbi* ἵημι mitto, injicio.

83 Ὀρφναῖος, ὁ, tenebrosus, obscurus ater, niger. *ab* ὄρφνη *& Doricè* ὄρφνα, tenebræ, obscuritas: *quod ab* ἐρέφω tego.

84 Οὐρεὺς, custos. *ab* οὖρος, *in qua significatione, ab* ὁράω *derivatur, ut Eustath. annotat.*

91 Πλάζομαι, vagabundus jactor. *à* πλάζω, errare facio.

94 Ἀλαλυκτῆμαι, erro, molestè fero, metuo, non sum anim compos

compos, *Poët. verbum. ab ἀλυκτέω idem, cum pleonasmo* τοῦ λα. *vel ab* ἀλύσσω, anxius sum, indignor, insanio, tremo; *quod ab* ἀλύω, errabunda mente & incerta afficior, gaudeo, superbio, tristor.

Δραίω *idem quod* δράω, facio. 96

Ἀδδηκότες, *metri gratia, pro* ἀδηκότες, *pro* ἀηδηκότες, *quod* 98
est Participium præt. temporis, Poët. pro ἠηδηκότες. *à themate* ἀηδέω, laboribus defessus sum, tædio afficior. *propriè* suavitatem non percipio. *ab* ἡδὺς *vel* ἅδω *unde* ἀδδηκότες, *Poët pro* ἀδηκότες, *ab* ἄω, satio: *satietas enim tædium parit. sed* ἅδω, placeo.

Ἴδμεν, *Doricè & Æolicè pro* ἴσμεν *hoc autem per Sync. pro* 100
ἴσαμεν. *ab* ἴσημι scio *vel per Sync. pro* ἰδέμεν *ab* εἴδω.

Μενοινάω, impetu quodam animi concitatus cupio. *à* μενοινὴ, 101
impetus *seu* cupiditas animi ad aliquid agendum. *à* μένος, animus, animi ardor. *seu* impetus irati animi. *pro eodem dicitur* μενοινέω *μ. 59. & ω. 179.*

Οὐδὲν, non equidem, non omninò, nequaquam. 104

Ἑκαστάτω, longissimè, maximè, procul. *superlat. ab* ἑκὰς, 113
procul. ἑκαστέρω, magis procul *comparat.*

Αἰτιάομαι, causam attribuo, *seu* assigno, accuso, imputo. 120
ab αἰτία, ἡ, causa, ratio. *item*, culpa crimen. αἰτιάασθαι, *Poët. pro* αἰτιᾶσθαι *hinc* αἰτιόωνται, *pro* ῶνται, *Od α. 32. λ. 653.* αἰτιόωτο *in Optat. pro* άοιτο. *& Odyss. υ. 135.* αἰτιόῳο, *pro* αἰτιάοιο.

Μεθίημι, *hic*, cesso negligens sum, ignavè me gero. *ali-* 121
quando cum Genit ut v. 114. μεθιέμεν πολέμοιο. *aliquando cum Infin. ut v. 234.* μεθίησι μάχεσθαι.

Ἐφίστημι, sisto juxta, appono, admoveo, *Aor. 2. significat* 124
neutraliter adsisto, *ut etiam de simplici* ἵστημι *dictum est.*

Ἐπιφράζω, indico. *item*, moneo, admoneo suggero. 127

Ἐπιφράζομαι, animadverto, intelligo, considero *à* φράζω, dico, *aliquando* jubeo, *cujus Aor. 2. est* ἔφραδον.

Φοινικόεις, Phœniceus, purpureus. *à* φοῖνιξ *ant. Vid. δ.* 133
141. *& ζ.* 210. *est &* φοινήεις, *μ.* 202. *idem.*

Ἐκτάδιος, ὁ, extensus. *item*, amplus, qui longè latéque 134
extendi potest, *ut hic. à* τείνω.

Οὖλος, integer sanus, integer perfectus, *pro* ὅλος, *Odyss.* ξ, 343. *est etiam* tener mollis, *ut Iliad.* π. 224. *&* contortus, *ut hic ab* εἴλω, contorqueo (*à quibus* οὐλοκάρηνος, crispo capite, *Od.* 246. οὐλόπους, integer pedibus. *Hymn. in Merc.* 137. *&* οὐλοχύτης, α 449.) *est &* οὖλος, exitialis *ut* 717.

135 Ἀκαχμένος, *pro* ἠκασμένος, acutus: *mutato* σ *in* χ, *& omisso augmento Part. præt. pass. verbi* ἀκάζω, acuo, *secundùm quosdam. per Syncop. pro* ἀκαχημένος. *Partic. præt. pass verbi* ἀκάχημαι, tristitia afficio. *Antè adeò ut* ἔγχος ἀκαχμένον *exponi possit* hasta dolorifica, *quòd ictu suo* ἄχος *afferat. ut etiam* ψυχρὸς χαλκὸς, *eò quòd lethale frigus inferat.*

145 Βεβίηκε, *Perf. à* βιάω, vim affero, urgeo, opprimo. *à* βία, vis.

153 Σαυρωτὴρ ῆρος, ὁ cuspis in imo hastæ ferro transversa *seu* ferramentum concavum . mucronatum, cui extrema hastæ pars inserta efficit, ut erigatur ; & solo depangatur; *quasi* σταυρωτὴρ, *à* σταυρόω, palum depango.

155 Στρώννυμι, *&* στρωννύω, *à* στορέω, *per Syncop. idem*, sterno, substerno. *Fut.* στρώσω, *Præter.* ἔστρωκα. *pass.* ἔστρωμαι, *Ind.* 1. ἐστρώθην.

Ἄγραυλος, ὁ, ἡ, in agro stabulans, *seu* pernoctans. *ab* ἀγρὸς, ager, *&* αὐλὴ, stabulum.

159 Ἀωτέω, flores carpo. ὕπνον ἀωτεῖν, est dormire somnum suavem, curis solutum, & quasi floridum. *Vid.* ἄωτον, ι. 657.

160 Ἀΐω, *Poët.* audio. *aliquando cum Genit. ut Odyss* ξ. 266. *aliquando cum Accus ut* 532. *hujus libri. aliquando significat* exspiro: *ut*, ο. 251. φίλον ἄϊον ἦτορ, charam exspirabam animam.

Θρωσμὸς, ὁ, tumulus, collis, eminentior locus, qui quasi è terra subsilit. *à* θρώσκω, salio.

164 Σχέτλιος, ὁ, patiens, *hic Vide* ε. 112.

165 Οὔνυ, annon ?

167 Ἀμήχανος, *hic* indefatigabilis. *est &* ἀμήχανος, *pro* κακομήχανος. *Vide antè* θ. 130.

173 Ἀκμὴ, cuspis, acies. *ab* ἀκὴ *idem, pleonasmo* τοῦ μ,

Συρὸς;

Ξυρὸς, ὁ, acutus ad radendum, & scalpendum idoneus. *à ξύω, idem quod ξέω*, rapo, scalpo, polio. *ξυρὸς autem aliquando substant. ut hic*, culter tonsorius, *aut* novacula; *hinc proverbium. ut hic apud Homer, ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς, dicitur res, quæ in summo discrimine sita est.*

Ἐγρηγορτὶ, vigilanter. *ab ἐγρηγορέω*, vigilo. 182

Δυσωρέω, difficulter custodio. *à δύσωρος*, custoditu difficilis *ab ὦρος, ὁ*, custos. 183

Κρατερόφρων, ὁ, fortis, prudens, truculentus, ferox, *ut hic. à κρατερὸς, ὁ*, fortis, robustus, *& φρὴν.* 184

Τετράφατο, *Ion. pro τετραμμένοι ἦσαν. à τρέπω. Antè.* 189

Χάρμα, τὸ gaudium, *antè, γ. 51. hic autem quod gaudium & lætitiam afferat*, ludibrium. 193

Ἤϊσαν, iverunt, *secundùm quosdam tertia plur. præt. imperf. cum pleonasmo τῦ η, pro ἴσαν. ab εἶμι*, vado. *secundùm alios, Aor. 1. εἶσα quasi ab εἴω, pro εἶσαν diphthongo dissoluta, & ε verso in η secundùm alios plusq. perf. ἤιειν, & per Syncop. ι. etiam subscripto ᾔειν, cujus tertia pluralis esset ᾔεισαν, ex quo detracto ε. fit ᾔισαν sed tum ι esset subscriptum.* 197

Ἑδριάομαι, sedeo. *ab ἕζομαι idem.* 198

Πιφαύσκω, *inserto υ, pro πιφάσκω. hoc vero per reduplicationem fit a φάσκω, idem quod φημὶ* dico, loquor. *à φάω*, dico. *est etiam πιφαύσκω*, in lucem profero. *à φάω idem.* 202

Οὐκ ἂν, nonne. 205

Τολμήεις, audax, intrepidus, tolerans. *à τόλμα*, audacia. 206

Φῆμις, ἡ, fama, rumor. *à φάω*, dico. 207

Ἀσκηθὴς, έος, ὁ, ἡ, illæsus, incolumis. *ab ἄσχετος*, qui retineri non poteſt, quem nemo prohibeat ab agendo. *est & ἀσκεθὴς, per ε, idem, Od. ξ. 255.* 212

Ὑπουράνιος, qui supra cœlos est. *item*, cœlestis, *ut hic significare potest.*

Ὑπόρρηνος, ἡ, & ὕπαρνος ovis, supra se, *vel*, in se agnum habens. *ab ἀρς, ἀρνὸς. Antè.* 215

Δαίτη, ἡ, epulum. *à δαὶς idem. Antè.* 217

Κτέρας, τὸ, res possessa. *est & donum*, ω. 235. *à* κτάομαι.

Εἰλαπίνη, epulum, convivium opiparum, compotatio. *à* λάπτω, *vel* λαπάζω, inanio, evacuo: *quoniam tali convivio apparatus & sumptus magni devorantur, & quasi inaniuntur. aut secundùm antiquos Grammaticos, ab* εἴλη, agmen, grex, congregatio, & πίνω, bibo. *vel ab* εἴλη, *idem quod* ἕλη, calor, solaris; *quòd in his computationibus incalescunt potatores. hinc* εἰλαπινάζω, epulor, convivor. ξ. 241. & εἰλαπιναστὴς, ρ. 577. conviva.

223 Θαρσαλέος, ὁ, fiducia præditus, fidens animo, audax. *hic* θαρσαλεώτερον, major audacia, *substantivè. à* θάρσος. *antè.*

226 Βράσσων, ὁ ἡ *comparat. Poët pro* βραδίων. *à* βραδὺς, ὁ, tardus. *est etiam* βραδύτερος, *superl.* βραδύτατος, & βράδιστος, *pro quo Poët* βάρδιστος. ψ. 310.

236 Φαίνομαι *hic* adsum, in conspectu sum.

238 Χείρων, pejor deterior inferior, vilior. *à* χεὶρ, manus. *nam propriè significat,* ὁ ταῖς χερσὶν ἥττων, qui manuum robore superatur. *vel* ὁ διὰ τῶν χειρῶν πορίζων τὸ ζῆν, qui victum manuum opera quæritat. *pro* χείρων *legitur* χερειότερος, β 248 & χερείων, α. 114. *in Dat* χέρηι, α. 80. *Accus* χέρηα. *Od* σ 228. & *in plur.* χέρηες, *Od* ο. 323.

251 Ἄνω, *Poët pro* ἀνύω, & ἄνομαι, *pro* ἀνύομαι, perficio, conficio, perago, propero, festino.

253 Μοῖρα *hic*, pars.

256 Ἀμφήκης, εος, ὁ, ἡ utrinque acutus, *aut* anceps. *ab* ἀκὴ, mucro *ab* ἀμφὶ. ἀμφὶ ἀκὴν ἔχων.

258 Ἄφαλος, ἄλοφος, ὁ ἡ sine cono, *aut* crista. *à* φαλὸς, conus galeæ, & λόφος, cervix, crista.

Καταῖτυξ, ἡ galeæ genus depressum, & sine crista. παρὰ τὸ κάτω τετύχθαι.

264 Ὗς, *idem quod* σῦς, sus, porcus, aper: *ex eóque factum, secundùm alios, ab* ὕομαι, irrigari, & pluvia perfundi: *quod luto se polluere amat. & aquis delectatur. vel, quasi* θῦς, *à* θύω, sacrifico; *quòd à suillo pecoris genere immolandi initium primum sumptum videatur.*

Θαμὰς

Θαμὴς, *idem quod* θαμειὸς, α. 52. creber, frequens. *hinc* θαμέες. & ταμέας, *Nom. & Accus. plur. apud Poetas.* ἀ θαμὰ, crebiò.

Ε῎χω, *hic*, munio.

Ε᾽πισταμθρως, scitè. *ab* ἐφίςημι. 267

Πῖλος, ȣ, ὁ pileus.

Ε᾽ρωδιὸς *seu* ἐρωγὰς, avis species, *videlicet* ardea, *seu* ardeola: *quasi* ἐλωδιὸς. *ab* ἕλος, τὸ, palus; *quia in paludibus plerumque versatur secundum quosdam, quasi* ἐρωπδιὸς, avis Veneri sacra. 274

Σπεῖο *Ion. pro* σπȣ̃. *Aor. 2. med. Imper.* ἀ σπόμαι, *pro* ἕπομαι, *seu* ἕπομαι. 285

Μήσατο, *pro* ἐμήσατο. ἀ μήδομαι, *hic* struo, perpetro *hinc* μήσαο, *pro* μήσω, ξ, 253. & μήσαι, *pro* μήσῃ, *Odyss* λ. 473. 289

Πρέφραασα, prompta, benevola, propensa. ἀ πρόφρων. *Antè.* 290

Εὐρυμέτωπος, ὁ, ἡ, latæ frontis, latam frontem habens. *bovis epithet ab* εὐρὺς, ὁ, latus. & μέτωπον, τὸ, frons; *quod ab* ὤψ ὁ, oculus, vultus. 292

Νέκυες, *interdum dicitur de* defunctorum corporibus, cadavera *aliquando* defunctorum manes, *Odyss.* λ.490. ἀ νέκυς. *Antè.* 298

Ε᾽ριαύχην, cervicem elatam & arduam habens. *ab* ἐρι, & αὐχὴν. *Antè*, ε. 147. 305

Α᾽πὸ δόξης εἶναι, opinionem frustrari. 324

Ἴστω, *per Syncop pro* ἰσάτω. *ab* ἴσημι, scio. 329

Α᾽γλαϊεῖσθαι. *Attic. pro* ἀγλαΐσασθαι. orno, decoro, illustrem facio. *ab* ἀγλαΐζω, *in quo & aliis ejusdem generis in* ἴζω *in Fut.* 1. *Attici tollunt* σ. & *ultimam circumflectunt: medium autem* ἴσομαι, *mutant in* ιȣ̃μαι, ἰσεῖσθαι, *Infin. in* ιεῖσθαι. *ab* ἀγλαὸς, splendidus. 331

Ε᾽πίορκον, *Adverb.* perjurè. *ab* ἐπίορκος, perjurus; *quod ab* ὅρκος, ὁ, jusjurandum. 332

Ὀρθῶσαι. *idem quod* ὄρω, *ex eoque factum.*

Κτίδεος, ὁ, *per Aphar. pro* ἰκτίδεος, mustela confectus. ἀ κτὶς, ιδος, ἡ, *per Aphar pro* ἰκτὶς, mustela. *hic autem* κτίδεος, è pelle mustelina confectus. 335

339 Φράζομαι, *aliquando* animadverto, *ut hic.*

346 Παραφθαίησι. *Opt. Aor.* 2. *à* παραφθάνω, præcurro, prævenio. *à* φθάνω. *Fut.* φθάσω. *Aorist,* 2. ἔφθην, *quasi à* φθῆμι.

347 Προπειλεῖν, propellito. *à* προπειλέω, *pro* προσειλέω. *ab* εἰλέω, verto.

351 Ἀπέην, *Poët.* ἀπῆν, aberat.

Ἐπίουρα, τὰ, intervalla, *Ion. pro* ἐπίορα. *ab* ὅρος, terminus, *factum ex eo singulari* ἐπίουρος, *per Metaplasm. ut tradit Eustath.* ἐπίουρος, custos, v.450. *ab* οὖρος *idem.*

352 Προφερής, προφερέστερος, προφερέστατος, præstans. *aliquand* provecta ætate. *à* προφέρω, præsto.

353 Ἄροτρον, aratrum. *ab* ἀρόω.

357 Δουρηνεκής, tantum intervallum continens, quantum hasta jactus. *ab* ἠνεκής, longus, & δόρυ τὸ, hasta.

Ἐλάσσων, *seu* ἐλάττων, minor, *compar. à* μικρὸς *communiter, sed propriè, ab* ἐλαχὺς, parvus.

360 Καρχαρόδους, acutos habens dentes. *à* κάρχαρος, ὁ asper, & ὀδοὺς, ὁ, dens: κάρχαρος *autem à* χαράσσω sculpo.

361 Κεμὰς, άδος, ἡ, hinnulus cervi *quasi* ἀπὸ τοῦ κοιμᾶσθαι *quòd adhuc in spelunca cubat, nec se committere sylvi audet.*

Λαγωὸς, οῦ ὁ, lepus *à* λάω *epitat.* & οὖς, auris. *ab* οὖας ατος, τὸ *idem. nam lepus perlongas habet aures. vel, à* λάειν, *id est,* βλέπειν. *lepus enim (ut ajunt) dormit apertis oculis.*

Ἐμμενὴς, ὁ καὶ ἡ, permanens, *seu* constanter manens. ἐμμενὲς *etiam aliquando substantivè, pro* constantia. *aliquando adverbialiter,* constanter, indesinenter. *à* μένω maneo.

364 Ἀποτμήσσω, *vel* ἀποτμήγω, abscindo, divido. *à* τμήσσω seco, scindo: *quod à* τέμνω *idem.*

375 Βαμβαίνω, inarticulatè loquor. *item,* dentes quatio pr metu, *seu* crepito dentibus, *ut hic. à* βάζω, *ducta à pedibus significatione.*

383 Καταθύμιος, quicquid in animo versatur. *item,* anim placens. *à* θυμὸς.

Ἐχά

Ἐσχάρα, focus, *Od.* ζ. 51. *hic autem* ἐσχάραι πυρὸς *vocantur* ipsæ domus. *seu* qui in domibus habitant. *hinc* ἐσχαρόφιν, *Od.* ε. 59. *Poët. pro* ἐσχάρα. 418

Δαείω, *pro* δαίω, disco, doceor, intelligo. *hinc* δαείης *in Subjunct. in Hymn. in Merc.* 562. 425

Νέηλυς, ὁ qui nuper, *seu* qui recens advenit. *à* νέ@, *&* ἔρχομαι: *quasi* ὁ νεωστὶ ἐληλυθώς. 434

Ἤσκηται, *Præt. pass. à verbo* ἀσκέω exerceo. *item*, elaboro, concinno; *quod ab* ἀσκὸς, uter: *nam, ut tradunt quidam propriè de iis. qui utres conficiunt, enunciatur. Metaph. etiam de reliquis artibus mechanicis.* 438

Ἴθα. *Æo. pro* εἶς, *præs. ab* εἶμι vado, *cujus præs. sæpè pro futuro usurpatur, ut hic, quod etiam prius dicitur.* 450

Ἀντίβιος, adversarius, *quasi diceret*, vim & potentiam contrariam habens. ἀντίβιον *etiam aliquando Adverbialiter*, adversus, contra *ab* ἀντίβιος, adversus contrarius; *quasi* ἐναντίαν βίαν ἔχων. *vel*, ἐναντιούμενος τῇ βίᾳ. *Vid.* α. 277. 451

Κέρσε, *Æol. pro* ἔκειρε, *Aor.* 1. *verbi* κείρω. *Fut.* κερῶ, *Aor.* 1. ἔκειρα tondeo. ψ. 146. *item* scindo, *ut hic, Od.* σ. 143. diripio, absumo. κτήματα κείροντες. 456

Ληΐτις, ιδος. prædatrix. *Epitheton Minervæ. à* ληΐς *ante*, ι. 138. 460

Τοῖσδε, *ut* ὅδε. *sed per apposit. syllabæ* σι, τοῖσδεσσι, *geminato Poët.* σ τοῖσδεσσι, *in quo retinetur circumflexus in antepenultima, non ex lege, sed quia particula* δεσσι, *articulo* τοῖς *quasi enclytica adjungitur.* 462

Ἐπιβωσόμεθα, invocabimus, *per contractionem, ex* ἐπιβοησόμεθα. *à* βοάω *sic* βώσαντι, μ. 336. *pro* βοήσαντι. 463

Δέελον, *pro* δῆλον, manifestum *ut hic: quod à* δήω invenio. τὰ γὰρ πρόδηλα ῥαδίως εὑρίσκονται, manifesta sunt facilè invenienda. 466

Δόναξ, ὁ, arundo, *ut hic.* calamus scriptorius. *à* δονέω, agito. *quòd facilè à ventis agitatur; & quia ex arundinibus facta sunt sagittæ, ideò* δόναξ *etiam* sagittam *significat*, λ. 583. *hinc* δονακῆα, σ. 575. *Ion. pro* εα. *à* δονακοῦς, arundinosus. 467

Ἐπι-

475 Ἐπιδιφριὰς, ἡ, locus quidam in curru, currus circumferentia ad extremam currus partem, unde religabantur equi jugo soluti. ἐπιδίφριος, qui sedet, *aut* ponitur in curru. *aliquando* otiosus, *vel* effeminatus, *Odyss*, ο. 51. δῶρα φέρων ἐπιδίφρια θείη, dona ferens in currus ponat. ἀ δίφρος, ὁ, locus in curru. currus, sella.

Δέδετο, ἀ δέδεμαι, plusquam perf. pass verbi δέω, irregulariter ε pro η: nam Fut. facit δήσω in activ. eodem modo δέδετο, ε 387.

480 Μέλεος, vanus, inanis, stultus, nihil efficiens, infortunatus. μέλεον *etiam Adverb.* incassùm, otiosè.

483 Ἀεικὴς, ὁ ϗ ἡ. *hic*, fœdus, durus. *vel* asper. *Vid.* α. 341.

484 Ἄορ, ensis, τὸ. *ab* ἀείρω tollo.

Ἐρυθραίνω, & ἐρυθαίνω, rubefacio. *ab* ἐρυθρὸς, ruber; *quod ab* ἔρυθος, rubor.

485 Ἀσήμαντος, ὁ, ἡ, rectore carens, cui nemo præest, & τὰ ἀσήμαντα μῆλα, oves carentes signo, *id est*, non custoditæ *ab* ἄσημος, cui signum, *seu* nota non est impressa *per consequens*, obscurus, ignobilis. *ab* α *privat.* & σῆμα, signum.

493 Ἀήθεσσον *pro* ἀήθεσσον *eu hon gr. ab* ἀηθέσσω, *pro* ἀηθέω, insuetus sum. *ab privat* & ἦθος, mos.

499 Ἥειρα, *pro* ἦρα, *pleonasmo* τ̃ η, *ab* ἀέρω, necto. *vel ab* ἀείρω, simul necto *ab* α *idem quod* σὺν, & εἴρω.

502 Ῥοιζέω *seu* ῥοιζῶ stridorem edo. strido. latro. ἀ ῥοῖζος. ὁ, stridor *factum est per Onomatop. ad imitationem soni literæ ζ, ut σίζειν, ex sono literæ σ. ζεῖν, ex ζ. βόμβος, ex β, secundùm Eustath. est autem* ζέω. ferveo, bullio, *propter priorem rationem est* σίζω, talem sonum edo, qualis fit ex ferro ardenti in aquam dejecto, *ob priorem rationem.* & βόμβος, sonus, quem edunt apes.

515 Ἀλαοσκοπία, cæca speculatio. σκοπὸς, speculator, explorator; *quod à* σκέπτομαι, circumspicio, inviso, visito. *Metaph* video, speculor considero, perpendo, & ἀλαὸς, cæcus, luscus: *quod ab* α *privat.* & λάω, video. *aliquando* volo. *vel. ab* ἀλάομαι, erro, vagor.

519 Ἀνεψιὸς, consobrinus, filius fratris *vel* sororis. παρὰ τὸ ἀνῆφθαι, *quod est*, sursum attingere; *quasi* ὁ ἄνωθεν

συνημ-

πεπηρμένος εἰς τὴν συγγένειαν, attingens aliquem consanguinitate è summo deducta.

Ὤμωξα, *Aor.* 1. *ab* οἰμώζω. *Antè.* 522

Κυδοιμὸς, ὁ, turba, tumultus παρὰ τὸ κύειν δείματα, *sive* εἴδματα, quod timorem inducat. *hinc* κυδοιμέω, turbas excito, λ.324. 523

Ἔκταν, occiderunt. *per Syncop. pro* ἔκτησαν, à κτῆμι. *aliquando* occido. *vel* ἔκταν *à* κτείνω. *Aor.* 2. ἔκτανον, *per Apoc. Poet.* ἔκταν. ἔκταν *verò* σ. 456 *pro* ἔκτανε. 525

Κτύπος, ου, ὁ, sonitus, strepitus *propriè*, qui pulsu cietur. *à* κτυπέω, η.479. 532

Ἀκτὶν, ῖνος, ἡ, radius solis. *ab* ἄγω, fero: *quia radii solis omnia permeant & quocunque feruntur vel ab* αἴσσω, salio; *quia salit cum impetu radius.* 537

Ἱππεῖος, equestris. *ab* ἵππος. 563

Ἱδρὼς, ῶτος, ὁ, sudor. *inter Poët. in Dat & Accus.* ἱδρῶ, *per Apocop. pro* ἱδρῶτι, ἱδρῶτα *ut hic ab* ἶδος, τὸ, *idem: quasi* ὕδος, *ab* ὕδωρ, *mutato spiritu cum prima litera.* 572

Νίζω, *lingua Tarentinorum, pro* νίπτω· *propriè de manibus dicitur*, lavo, *ut hic. hinc* ἀπονίζω.

Ἐσβάντες, *pro* ἐμβάντες, *Aor.* 2, *part. à* βαίνω. 573

Ἀνέψυχθεν, *pro* ἐψύχθησαν. *hic intellige per Synec.* κατὰ ἦτορ. 575

Ἀσάμινθος, ὁ solium balneatorium, pelvis *fit* παρὰ τὸ ἄσιν μινύθειν, à sordibus diminuendis, *id est* eluendis. ἄσις, ιος, ἡ, *vel* ἄση, sordes, limus. *aliquando* molestia. 576
